gium senatus. Etymon vox ipsa importat, nam refugere est A aliò se recipere, uti faciunt, qui in angustiis sunt, & præsidia aliorum requirunt.

☞ *Vide Asylum.*

* CIVITATES REFUGII.

Earum Institutio, Numerus, Causa.

Deus post eductum ab Ægypto populum suum, inter alia præcepta Judicialia, quibus voluntarium homicidium vetuit, tandem de casuali etiam agens, dicit. Qui autem non est insidiatus, nempe proximo suo, ut illum interficeret; sed Deus tradidit illum in manus ejus, constituam illi locum, in quem fugere debeat. Itaque hic jus asyli promittitur homicidio casuali, in quo tamen culpa aliqua, vel negligentiæ, vel imprudentiæ, vel etiam vindictæ intervenit.

Quod autem hoc loco promiserat, præstitit *Num. cap.* 35. ubi assignatis oppidis pro Levitis, jubet, ut sex ex illis sint in B fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui effuderit sanguinem, hoc est qui alium nolens, vel nescius occiderit, erant enim hæ civitates asyla Innocentum, unde debebat homicida innocentiam prætendere, antequam ad hæc admitteretur, Sic enim legimus *Josue cap.* 20. *vers.* 4. Stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea, quæ se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, & dabunt illi locum ad habitandum.

Siquidem veteri populo Deus indulserat ob illius duritiam, ut occidere posset occiforem amici, vel propinqui sui, absque alia condemnatione, quocunque loco eum reperirent. Ergo constituit has civitates Deus, ad quas qui cædem admiserat, se reciperet, donec causa illius examinaretur, idque vel in porta urbis, vel eo loco, ubi cædem commiserat. Inde eò deducebatur, & cognati occisi litem intentabant, qua si innocens declararetur occisor, remittebatur ad locum refugii.

Igitur eis Jordanem Moyses designavit tres urbes refugii, scilicet Bosor, Ramoth, & Golon: & jubet transito Jordane tres alias designari: quod factum *Josue cap.* 20. ubi legimus decretam Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Si- C chem in monte Ephraim, & Cariatharbe, quæ est Hebron, in monte Juda.

Hi tamen sex jussit Deus addi tres alias *Deuteron.* 29. cùm populus esset amplior, & frequentior. *vers.* 9. Erant que omnes in montibus, ut eminus viderentur.

Inhabitabantur autem illæ civitates à Levitis, ut ipsorum causa à viris juris divini, & humani peritis, rectius, sanctiusque judicaretur. Erantque viæ ad has urbes, ut vult Oleaster, notatæ stipitibus, sive terminis, quibus inscriptum erat Milk ot id est, refugium.

Quamdiu Asyli Jus Duraverit.

Homicida manere in urbe, ad quam refugerit, jubetur *Num. cap.* 35. & *Josue* 20. donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur; tunc enim ait Scriptura revertitur homicida, & ingreditur civitatem, & domum suam, de qua fugerat. Cujus quidem rei varias causas Rabbini adferunt: alias Christiani Scriptores. Primò enim *R. Omer* ait, Pontificem divinæ gloriæ, administrum, celebratorem, & propagatorem esse: homicidam vero divinæ eidem gloriæ officere, ipsamque D obscurare. Idèoque non nisi Pontifice sublato in patriam eum reverti posse.

Secundò *R. Mair*, Pontificem ait, suis precibus, ac sacrificiis vitam, ac incolumitatem universo conciliare populo: hanc eandem verò ab homicidis oppugnari, ac minui. Illo igitur superstite, iis ad proprios lares intercludi redditum.

Tertiò, *Raschi*, & *Talimundici, tract. de percussione cap.* 2. Pontificis in eo positum fuisse munus volunt, ut cœleste semper numen propitiaret, tristesque ab Israelitis casus omnes averterit. Non fuisse igitur fortuitum etiam homicidium admittendum, si quidem suo in munere diligens ille fuisset. Recte igitur ipsius morte culpam expiari, quæ illius negligentia fuisset admissa.

Quartò, putat *R. Isaac Ærameus in lib. de Isaaci ligatione*, cùm refugii urbes Leviticæ fuerint, omnes fuisse Pontifici Maximo subditas: Ideòque & qui in illis morabantur, eidem illi Pontifici subjectos quodammodo serviisse. Satis verò ab insontibus exulibus pœnarum exsolutum, si Pontifi- E ci uni serviissent, non autem & secundo serviendum fuisse.

Quintò, *Ramban libr.* 3. *Morech Nebuchim c.* 40. consentaneum ait fuisse, ut cum Israelem totum luctu summo afficeret Pontificis mors, desinerent occisum alium quemlibet lugere: ideòque & cædem ejus vindicta prosequi alii quicumque. Quemadmodum enim à majori obscuratur lumen minus, sic & majoribus tristitiæ tenebris insuscantur, penæque tolluntur minores.

Sed quia Pontificis apud veteres illos Israelitas auctoritatem pulchrè commonstrant Rabbini hujus verba, ea exscribam. Causa, inquit, cur qui homicidium inscienter, ac errore admisit, exulet, est, ut ejus, qui sanguinem ulcisci parat, pacctur intereà tractu temporis animus, dum cum qui cædem fecit, à conspectu remotum non videt. Ejus verò exulantis pendet in patriam reditus, ex hominis illius morte, qui cæteros omnes dignitate antecellit, summèque ab Israelitis omnibus amatur. Ideòque consentaneum est, luctuoso ejus interitu dolorem sedari omnem, quem è propinqui sui cæde propinquus sanguinis vindex hauserat. Est enim ea hominum conditio, ut qui acerbiore aliquo malo afficitur, is, si aut F par, aut etiam majus evenisse alteri videat, minus jam de suo ipsius dolere incipiat.

Sextò, Placet nonnullis, dari hoc Pontificis novi, qui mortuo succedit, gratiæ, ut quemadmodum ad Deum hominibus propitiandum novus accedit, ita etiam novum ipsa beneficium, & saltem hominibus, qui ea egent, eaque dignio. res videntur, præstet.

Septimò, *Oleaster in c.* 25. *Num. p.* 84. Summus Sacerdos Dei Vicarius agebat partes justitiæ divinæ, qua Deus vindictam ab hominibus expetit. Et eo mortuo, videbatur pars adversa exstincta, quæ ultionem pro Deo peteret: & ideò tunc omnino absolvebatur.

Octavò, *idem posteà Psal.* 85. Ostendere voluit Dominus, quantum abhorrere debeat Sacerdos homicidia etiam involuntaria.

Nonò, similiter quàm polluat hominem homicidium perpetratum, ut nullo pacto esse possit, ubi est Domini Sacerdos.

Decimò, *Masius* tota ista in re censet id spectatum, ut ab homicidio absterrerentur Judæi quam maximè; atque idcircò homicidam, quamvis impudentem, ac involunta- G rium, debuisse veluti sanguine humano pollutum intra asylorum latebras contineri, ab hominumque cœtu quasi piaculum arceri, tantisper saltem, dum superstes is esset, quem in terris Dei primarium Interpretem, & ejus divinæ majestatis personam quodammodo adumbrantem, atque omnino omnis religionis, pietatis, sanctitatis ἀρχηγὸν, ac principem, & sublimi muneris sui solio Reipubl. statum semper continentem, ille facinoris illius sui duritate omnium gravissimè offendit.

Hæc dicuntur, & non omnino incongruenter: licèt sint aliis alia congruentiora. Vera tamen, & propria, omniumque princeps illa mihi causa videtur, fuisse homicidarum illorum, latebram, & exilium ad Pontificis usque mortem prorogatam, eaque ipsa omnes illico in partem rediisse, ut significaretur vera illa libertas, quæ nobis per Jesu Christi mortem parta. Hic enim verè Pontifex Maximus est. *Hebr.* 5. 6. 7. 8. 9. & 10. & per homicidas illos significantur omnis generis peccatores. His ante illius mortem nullus in cælestem patriam, unde in Adamo ejecti exulabamus omnes, patuit aditus: & post illius mortem confestim, ipso pereunte, illuc remigrare omnibus, quicumque se ad refugii urbes H conferunt, licet, qui se inquam ad Catholicam Christi Ecclesiam, quæ particulares in omni terrarum orbis plaga Ecclesias plures continet, recipiunt: qui Christi, Levitarum, ac sacerdotum potestati, ac patrocinio sese committunt, ab illis non discedunt, eorum jus, ac tutelam non contemnunt, extra eorum septa, & muros nusquam vagantur. Hisce omnibus sive in limbo, sive purgatorio, sive in terra, dum moreretur Christus Dominus Pontifex noster, fuerint, sive posteà sæculis omnibus futuri erant, vera libertas, in cœleste domicilium redditus, & æterna salus data. *Hæc ex Cornel. à Lapide in Pentateuchum.*

A

Regio.

Definitio, et Etymologia.

Regio pro certa Provincia communiter accipitur, sic dicta à regendo, quòd priusquam fierent Provinciæ, sub regibus essent ipsæ Regiones. χώρα Græcis dicitur. Tandem autem hoc nomen pro celebriori in urbe vico usurpatum fuit, fueruntque quatuor antiquitus regiones urbis, Suburbana, Exquilina, Collina, Palatina. Nos hic priorem significationem accipimus, immò & paulo latius, ut quamvis terram, & locum complectatur. Juxta quam significationem primò consideratur.

REGIONUM, ET LOCORUM Ortus, Terræ Detectæ, Factæ.

☞ *Alluvio est adjunctio, & appulsus fluminis ripam contingentis. Hinc Alluvius ager, quem paulatim fluvius in* B *agrum reddit: id est, qui ex alluvione factus est: ut est* in libro Variorum auct. de Limitib. *Sed cùm ipso appulsu, & attritu affluentis aquæ detractio illa conglutinatio, quæ contingeret, ac proinde per alluvionem acquisitio fieret, acquirendi modum, quod Incrementum latens verè definitur, Jurisconsulti Alluvionem vocarunt, eique definitionem illam accommodarunt, rerum vim, non verborum proprietatem spectantes.* Hotom. com. Verb. Juris.

De mari in terram mutato, deque causis horum, vide *Strabonem l.* 1. Nascuntur terræ non fluminum tantùm invectu, sicut Echinnades insulæ ab Acheloo amne congestæ, teste Herodoto *l.* 2. majorque pars Ægypti à Nilo, in quam à Pharo insula noctis, & diei cursum fuisse, si Homero credimus: sed & recessu maris, sicut eidem de Circeiis: quod accidisse, & in Ambraciæ portu decem millium passuum intervallo, & Athenienium quinque millium ad Piræum memoratur. Et Ephesi, ubi quondam ædem Dianæ alluebat. Herodoto quidem si credimus, mare fuit supra Memphim usque ad Æthiopum montes: itemque à planis Arabiæ. Mare & circa Ilium, & tota Teuthrania, quàque campos intulerit Mæander. *Plin. l.* 2. *cap.* 85. Mæander fluvius plurimum terræ attulit Asiæ regioni- C bus, per quas fluit. Simili modo & in Acarnania Achelous, Cephisus in Bœotia à Phoceis descendens, non parum eis ortis terræ superaddidere; quæ coli posset. *Diod. l.* 1. *c.* 3. Quòd Echinnades insulæ non sint adhuc continenti terræ annexæ, Ætolorum opera factum est. Sedibus enim suis pulsi, agrum colere desierunt. Eo factum, ut Achelous minus jam lutulentus per deserta fluens, medium inter continentis terræ littus, & eas insulas fretum, non oblimaverit. Huic rei Mæander argumento esse possit, qui Phrygum, & Carum feracissimos agros præterlabens, medium inter Prienem, & Miletum mare brevi in continentis naturam vertit. *Pausanias in Arcadicis.*

Peloria apud Tessalos vocantur, quæ apud Romanos Saturnalia. Narrant enim, cùm sacrificium Pelasgis commune fieret, virum quendam Pelasgo regi significasse, cui nomen erat Peloro, quòd terræ motibus magnis in Hæmonia, sive Thessalia factis, montes Tempe vocati fracti sunt, atque disrupti, ac per intervallum aqua stragni erumpens influxerit in Penei fluentum, & omnem regionem, quæ priùs stagnum fuerat, esse denudatam, tum aquis exiccatis, & magnitudine, D & pulchritudine admirabilem planitiem apparuisse. Cùm id audivisset Pelasgus, mensam copiosè, magnificèque ornatam Peloro paravit, ac apposuit, alii autem perhumanè amplectentes contulerunt singuli, si quid optimum haberent, ac in mensam nuncianti deposuerunt, ipse verò Pelasgus ministrabat prompte, & alii, qui in dignitate erant constituti, serviebant, velut singulis tempus concederet. Referunt idcircò ubi regionem sunt consecuti, sacrificantes Jovi Pelorio mensas splendidè paratas apponere eos consuevisse ad illius festi imitationem: atque ita amicè, benevolèque fieri conventum, ut vel omnes peregrinos in convivium excipiant, vinctosque solvant, ac servi cum omni licentia accumbant, & epulentur, dum dominii illis serviunt. Atque nunc etiam omnino Thessali maximum festum agentes Pelorium vocitant. *Athen. l.* 14. *cap.* 17. & *Strabo lib.* 9. De eo sic *Herod. lib.* 7. Narratur in Thessalia quondam lacus fuisse, conclusa undique prælatis montibus. Nam ad auroram Pelion, & Ossam junctis inter se radicibus habet: ad aquilonem, Olympum: ad Hesperum, Pindam: ad austrum Ochryn. Inter hos montes media est Thessalia, ita devexa, ut cùm alii frequentes amnes in E eam defluant, cùm ii quinque præcipuè, Peneus, Apidamus, Onochonus, Epineus, Pamisus, qui è montibus in unum confluentes, per unum anfractum cumque arctum in mare evadunt, Penei retento nomine. Fertur quondam, cùm nondùm esset hic anfractus, per quem flumina meerent, hos fluvios, & præterea lacum Bœbeidem, non fuisse nominatos, quemadmodum nunc, & tamen non minus quam nunc fluxisse: sed suis fluentis omnem Thessaliam effecisse pelagus. Ipsi quidem Thessali memorant, Neptunum fecisse convallem, per quam meat Peneus, haud absurdè sentientes. Qui enim arbitratur, Neptunum terram quatere, & quæ terræ motu discussa sunt, hujus dei esse opera, ei cernenti hunc locum videtur Neptunus id fecisse. Namque diductio illa montium à terræ motu facta videtur. *Herod. l.* 7.

Plataeas urbem à latitudine remorum appellata probabile est, & Plataeenses remigationis quæstu victitantes. Cæterùm hodie procul à lacu habitantes, nequaquam adhuc F propriè possunt appellari, Helosque, & Helcon, & Helesium, à palude vocatæ sunt urbes Pelopponnesi, quoniam paludibus finitimæ sitæ fuerant. Non autem nequaquam modo simili sese omnes habent, vel seorsum positis domiciliis, vel lacu vehementer ab imo decrescente, effluentibus postmodum aquis. *Strabo l.* 9.

Pyramus fluvius in minori ortus Armenia, montem Taurum secans, tantum limi in mare effert. Cilicium partim ex Cathaoniæ, partim ex Ciliciæ campis, ut oraculi locum carmina illa habeant,

Κοιόνται ὀξυμέτρους, ὅτε πύραμος ὑφορμεῖ ὕσῃ
ἢ ἔσται πρόχυσιν ἐφιλὺν ἐς κύπρο ἰκνεῖται.

Tempus erit rapidis olim cùm Pyramus undis.
In sacram veniet congesto littore Cyprum.

Strabo lib. 1. *&* 12.

Ægypti non parvam partem quandoque aquis obrutam fuisse, satis constat. Quicquid supra Memphim, & Æthiopum montes jacet, Delta dicta, quoniam trianguli speciem præbet, maris, & Nili extremis duobus brachiis circumscripta, accessio terræ est, ac fluminis donum, ac trium usque dierum navigationem, quoniam Nilus annua inundatione ea loca cœno oblimavit. Quod inde patet, quoniam cùm Ægyptum versus in alto cursum tenes, procul ab ea adhuc G diurnę navigationis spatio, patieris sensum cœni etiam in aqua undecim alta passibus. Nilus itaque siccaneum fecit. Attestatur huic quoque rei humus ipsa fragilis, & minimè petrosa. Item quòd nongentis ante annis Nilus octo cubitis, ut minimum assurgens, irrigabat Ægyptum, quæ supra Memphim est: at Herodoti ætate nisi quindecim, aut sexdecim cubitos ascenderet, regionem generasse. Strabo id soli, quod è Siene ad mare Nilo irrigatur, Ægyptum ab initio appellatum arbitratur, cui quantum posteà incrementi accesserit, Homeri carmen haud dubiè demonstrat, quo significatur, Pharum insulam, quæ hodie Alexandriæ adjacet, velificæ navigationis diei unius à continentis ora abfuisse. *Sab. lib.* 1. *Enn.* 1. *Ex Diodoro l.* 3. *c.* 1. *& Herod. l.* 3. qui idem aliquando Ægyptiis eventurum putant, quod illi Græcis eventurum asserun. videlicet, quòd aliquando magna spe decepti, esuituri sint. Græci quidem, si Deus pluviam illis non largiatur cœlitus: Ægyptii verò, si Nilus tantum terræ aggerat, ut aggeres ipsos transcendere nequeat, cùm alioqui nullis planè imbribus illorum regio irrigetur, sed sola Nili inundatione. *Herod. l.* 2. H

Alexandria ab Alexandro Magno ad Persicum mare conditum oppidum, primò fuit à littore stadiis x. maritimum, etiam inde pseudoporticus habet: Juba verò prodeunte LM. pass. Nunc abesse à littore CXXM. legati Arabum, & negotiatores affirmant. Nec ulla in parte plus, aut celeriùs profecere terræ fluminibus invectæ: Magis id mirum est, æstu longè ultra id accedente non repercussas. *Plin. l.* 6. *c.* 27.

Apud Orchomenon ajunt ruptam terram per hiatum Melanem fluvium hausisse, qui per plagam Haliattiam labitur. *Strabo l.* 9.

Polybius futurum credidit, ut assidua fluminum exaggeratione, Mæotis palus, & Euxinum mare, quod & Ponticum dicitur, aliquando vadosum fieret: quod in Mæoti sua tempestate propemodum evenisset, cùm nullibi stagnantes aquæ, plus quinque ulnis, aut ubi plurimùm, septem vado distarent, ob idque majora navigia paludem ipsam non ferre, sed vado-

rum incrementa minùs in Ponto sentiri, ob aquarum multitudinem, esse tamen unius diei à terra arenarum tumulos, quos fluenta Istri materia in altum propulsa faciant, quarenus fluvialis aquæ impetus procul littoribus durat indubitato exaggerationis, quam ille futuram dixit, argumento, Adiicit illud, quod ad institutam demonstrationem pertinet, quod quantò Mæotis Pontico dulcior est, tanto Pontus ipse nostro mari minus amarus, *Sab.l.8. Enn.2.*

Italiæ ad Adriaticum mare littora creverunt. Adria imminens mari olim, nunc in continente aliquot passuum millibus. Spina Græca olim urbs, maris domina, in paludibus Adriæ sita non procul Ravenna, cujus donaria Delphis quoque spectabantur. Strabonis tempore viculus erat, xc. stadiis à mari distans, *Strabo l.4.*

Circeii quondam insula immenso quidem mari circumdata (ut creditur Homero) at nunc planitie. Theopraſtus, qui primus externorum aliqua de Romanis diligentiùs scripsit (nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, urbem duntaxat à Gallis captam dixit: Clitarchus ab eo proximus, legationem tantùm ad Alexandrum missam) hic jam Circejorum insulæ, & mensuram posuit stadia xxc. in eo volumine, quod scripsit Nicodoro Atheniensium magistratui, qui fuit urbis cccclx. anno. *Plin. l.3.c.5.*

Expulsis regibus cum tota gente, Tarquiniorum ager circa Tiberim Marti consecratus est, & Martius campus dictus. Defecta seges cum stramento (quia religiosum fuit in humanum usum vertere) in fluvium dejecta medio Tiberis alveo, vadosis obhæsit locis. Tenuis æstivo anni tempore fluebat amnis: accidit propterea, ut limo aliaque materia eodem temerè congesta, insula paulatim sit facta, Æsculapio posteà consecrata, quæ nostra tempestate vetustis operibus, nonnullis etiam recentibus conspicua, in Transtyberinam regionem duobus pontibus ex urbe transmittit. Unde inter duos pontes ea regio vocatur. Alii, quod fabulosum mihi videtur: id posteà accidisse arbitrati sunt, cùm Tarquinia quædam Vestalis agrum huic finitimum publicè reliquisset. *Sabell. lib.7. Enn.2. ex Dionysio libr.5. & Plut. Poplicola, & Val. Max. libr.1. & Livio lib.2.*

Qui Investigant, Inquirunt, Perlustrant Regiones.

☞ *Vide Tit. Geometriæ studium; Illic Habitus, hìc Opera spectantur.*

Lusitaniæ reges, jam à multis annis, quæstus Cupiditate, Africæ littora peragrare cœperunt: ac paulatim ad Capitis viridis insulas usque, à veteribus, ut plerique existimant, Hesperides appellatas, quæ quatuordecim gradibus circa æquinoctialem septentriones versùs sunt progressi, & indies audentiores facti, longo circuitu meridiem versùs navigantes, ad Bonæ spei promontorium, quo nullum in Aphrica magis ab æquinoctiali remotum est, cùm triginta octo gradibus ab eo distet, ab eoque in Ortum flectentes, per Oceanum, ad Arabicum, & Persicum sinum usque pervenerunt: quibus in locis Alexandrini mercatores, aromata, partim ibi nata, partim ex Moluchiis insulis, aliisque Indiæ partibus allata emere, deinde terrestri, longo incommodo, & maximis sumptibus itinere, Alexandriam ferre, ibique Venetis mercatoribus, qui ea Venetias advecta, ingenti quæstu per universam Europam diffundebant, vendere solebant. Nam cùm foli aromata in manibus Veneti haberent, pretia ex arbitrio suo constituebant: & iisdem navibus, quibus ex Alexandria asportabant, multas merces eò ferebant: cædemque naves, quæ aromata, in Galliam, Flandriam, Angliam, & alia loca vehebant, Venetias pariter aliis mercibus onustæ redibant: quæ res reipub. quoque opes ex vectigalibus, & portoriis mirum in modum augebat. At Lusitani Lisbona regia urbe mari ad remotas illas partes profecti, & cum Calicutio, & aliorum locorum regibus in Indico mari societate contracta, deinde paulatim ad interiora loca penetrantes, arcibusque temporis progressu in opportunis locis extructis, & nonnullis ejus regionis civitatibus sibi fœdere adjunctis, aliis verò armis Imperio suo parere coactis, aromatum, quæ anteà Alexandrini mercatores habere solebant, negotiationem in se trastulerunt: eaque mari in Lusitaniam vehentes, ad eadem loca, ad quæ Veneti mittere solebant, navibus ipsi suis mittunt. Quæ navigatio sanè mira est, in sex & decem milliarium millia protensa per maria penitus ignota, sub aliis sideribus, alio cœlo, aliisque instrumentis peragenda: nam ubi æquinoctialem lineam transgressi sunt, nostram arcton non ampliùs ducem sequuntur, & magneti usu privantur: tantoque itinere, nullas terras nisi ignotas, lingua, religione, moribus diversas, prorsus barbaras, & peregrinis insensissimas, attingere possunt: nihilominus tanta difficultate minimè impediti, temporis progressu hanc navigationem sibi tam familiarem fecerunt, ut quò priùs x. mensibus perveniebant, nunc longè minori periculo sex mensium spatio navigent. *Guicciard. l.17.* Parte altera Hispani Christophoro Columbo Januensi duce novum orbem reperiere. Is enim anno MCCCCXCII. Hispaniæ regum impensa, cùm tribus navibus profectus Gadibus, ad Fortunatas insulas est primò delatus, Hispani Canarias vocant: distant à Gaditano freto duodecies centum millia passuum. Infrequens hominum cultus, cæterùm temperies tanta, ut nudi agitent insularum indigenæ. Hinc classis digressa, trium & triginta dierum, noctiumque irrequieta navigatione in Favonium tendens, quasdam est demùm insulas adepta, ex his duas præcipua magnitudine nominibus notarunt: Hispaniam hanc dixere, alteri (omen credo secuti) Joannæ nomen indiderunt. *Sab. l.8. En.10.* Neque verò defuere alii, atque alii ex Hispanis, qui pari æmulatione laudis, & spe quæstus, eadem littora sequuti, ulteriores novæ terræ, quam Pariam vocabant, terminos quærìtarent. Primus tamen Columbus admirando ingentis animi captu, eruditoque judicio vir, & uti quibusdam apparet, Hercule Græco inusitatæ famæ gloria major, & illustrior, alterum propè terrarum orbem vasto, atque intento prioribus seculis Oceano, ad Occidentem nobis aperuit. Ex posteris tres cum primis ex Hispania, felici ausu, & rebus gestis maximè clari, & memorabiles extiterunt, Ferdinandus imprimis Cortesius, qui in postremum occidui littoris sinum delatus, ad Mexicana regna terrestri itinere contendens, subactis Indis, Themistitana urbe potitus est, cum fabricatis navigiis eam urbem falso in stagno positam, ædificiisque, & incolarum frequentia Venetæ urbis instar admirabilem, multis prosperè factis præliis expugnasset. Huic claritate nominis æquari potuit Blascus Nonius, à quo repertus est Isthmus ad Urabanum sinum; quo duo ingentia maria dirimuntur. Cæterùm dira auri sitis, novique imperii libido, Blasci animum non multò post occupavit, eo rerum exitu, ut affectati regni crimine damnatus, capite plectereturr. Indignus hercle eo supplicio, nisi perfidiosè defecisset, quod ad Lævam longo tractu Perurana, & Cuscana regna auro, & gemmis scatentia, successoribus Almagro, atque Pizarro demonstrarit. Post hunc portentosa navigatione inclytus fuit Ferdinandus Magallanes, Lusitanus exul: qui auspicio Cæsaris alterum Pariæ terræ littus in Orientem obversum, quinque navium classe percurrit, legendoque oram prætervectus lineam Capricorni ferorum gigantium instar prægrandes homines belluarum pellibus contectos reperit. Nec multum inde, uti avidè quærebat, prope antarcticum circulum in anfractuosas fauces audacter invectus est, non inani conjectura judicans novi orbis terras illac irrumpente Oceano esse permeabiles. Mox per Antarcticum ad Moluccas contendit, in quarum oppugnatione cæsus est. Cui suffectus est Sarranus. Quo ab hostibus capto, milites caryophilli, & cinnamomi, nucisque myristicæ furculos ex natali solo colligentes, vi testimonii certam fidem referrent, ex quatuor navibus vetustate semicorruptis, duas magna cura, usi illarum armamentis, materia, & clavis refecerunt, Eurisque vela dantes, incogniti Oceani immensis spaciis usqueadeò audacter se crediderunt, ut nusquam à Lusitanis conspecti, qui indicam oram præsidiis obtinebant, ad Hesperides insulas contra Praxium promontorium, altera tantùm navi, non ampliùs quàm XXII. homines semivivi pervenerint. Ibi qui totum undique emensi orbis ambitum circumviverant, Barbarorumque mille insidias, & omnem maris sævitiam evasserant, à Lusitanis insulæ præsidibus custodiæ traditi sunt. *Sabel. Supplem. l.19. ex Jovio.*

Post Columbum Americus Vespucius Florentinus, deinceps Batavi nostri, Angli, ac insuper multi alii, alias insulas, & amplissimas continentis regiones patefecerunt. *Guicciard. l.17.*

REGIONES
Submersæ.
☞ *Vide Tit. Inundationum.*

Cùm Stymphaliæ Dianæ solemne sacrum Arcadibus indiligentius omni ex parte factum esset, ac in primis patrii ritus

ritus prætermissi, lucus repentè supra eam cavernam irruit, aqua refluens latè omnem campum haud minus stadium CCCC. perpetuo stagno occupavit. Quæ tamen palus uno die postmodum siccata traditur, & factum Dianæ apparatius, & magnificentius factum. *Pausanias in Arcadicis.*

Matura in totum abstulit terras, primum omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio. Mox interno, quæ videmus hodie, mersam, Acarnaniam Ambracio sinu; Achajam Corinthio, Europam, Asiamque Propontide, & Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Anthirrhium, Hellespontum, Bosphoros duos. *Plin. l.2. cap.90.*

AMBRONES Galliæ populi, cùm subita maris inundatione sedes suas amisissent, animum rapinis adjecerunt, & latrociniis.

LIBETHRII Macedones à Sue amne deleti una nocte, juxta oraculum Liberi patris, Cùm primùm Orphei ossa non procul inde sepulta, sol aspexisset, à Sue urbem deletum iri. Cùm enim pastor quidam meridie recubans fessus ad Orphei tumulum obdormisset, & in somnis versus Orphei magna, & suavi voce decantasset, vicini pastores, & agricolæ hoc audientes, ad eum accurrunt turmatim, & dum quisque ad pastorem propiùs certat accedere, columnam evertunt. ea ruente, fracta est urna, quo factum, ut Orphei ossa sol aspiceret. Sequenti igitur proximè nocte Sus amnis Libethriorum muros dejecit, sacras, & profanas ædes evertit, homines ipsos, & animalia cuncta, quæ intra muros fuerant, extinxit. *Pausanias in Bœoticis.*

Circa an. Sal. 1421. in Hollandia, atque Zelandia, maris inundationes urbes, & agros subverterunt. Dordracum insignis urbs magna sui parte periclitata: vicini agri, & parochiæ sedecim ita cum populo absorptæ perierunt, ut nulla sit reliqua spes recuperandarum. Laceræ cernuntur reliquiæ, decursu maris undas retrahente per vices. *Crantzius lib.11. Saxoniæ c.8.*

Anno 1530. extremæ terrarum in Belgis regiones, quæ Gesloriaco littori incumbunt, repentina, atque inusitata prorumpentis Oceani inundatione summam cladem subierunt: qua nobiles paulò antè urbes, frequentissimæque oppida suprfundente sese mari periere: usque adeo miserabili calamitate, ut infinita propè mortalium multitudo intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nam hortibili, prodigiosoque, sicuti conjectari licuit, terræ motu concussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, ut institutos antiquitus, & perpetua custodiæ diligentia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quibus submoveri, arcerique æstuantis maris fluctus consueverant, concitato quodam, & vehementissimo incursu perrumperet, interiorisque plagæ terris altissimarum, & reciprocantium undarum pelagus per transcensos margines effunderet: animantiaque subinde omnis generis, irrito receptus cursu in aridas littoris partes perfugere conantia, ocyssimè mergerentur: quibus longo natatu fessis, & fame morientibus marinæ belluæ non dubio pavore attonitæ, impulsaque fluctibus conterritorum piscium agmina succedebant. Prænuntiarant hanc cladem triduo ante densissimi imbres, diraque tonitrua scintillantis aeris, & crebra motatio telluris, perpetuoque biduo concurrantium inter se ventorum diversi turbines, ita horribili pavore concussis mortalium mentibus: ut cùm tecta nutarent, & ingruente inevitabili aquarum mole, colluctantibus scilicet elementis, tota universi orbis compages resoluta, in antiquum chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas longè maxima incidit Caneniphatum, & Batavorum insulis, quæ Selandæ, & Hollandæ à nostris hodie nuncupantur. Nam præter eas, quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersæ fuerant, Alendebucha quoque, & Harles, & Exclusæ, clara oppida, ita fluctibus oppressa, devorataque sunt, ut vix sacrarum turrium, & templorum fastigia extarent, quæ horribili æquè, & sæpè metuenda excidii memoria cladem testarentur. Sed Nonæ Novembres tantis malis finem attulerunt, cùm postridie Kalendas sereno (quod mirum fuit) cœlo, sed mox portentosum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se ventorum procella commutato, dira ea tempestas accidisset: tanta admiratione mortalium, ut nulla ab orbe condito major, & gravior ullis gentibus clades, post diluvium Mosaicis literis celebratum incidisse crederetur. Nec multò post sequenti mense Januario, par propè exitii clades Lusitanis, in ipsis proculdubio visceribus terræ furente debacchanteque Æolo, illata est, cujus impetu urbs Ulyssipo in primis incomparabile detrimentum sensit: & post eam coloniam, Sanctæ arenæ, & Azembugeræ, Almerinique urbium publica, privataque ædificia, inusitato terræmotu conquassata, prosciissque magnam vim mortalium ruinis oppressere, & nonnulla etiam navigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt: sic ut Tagus insanis illidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in utranque ripam suis undis, sicca in medio vada obstupentibus cunctis ostenderet, nemoque jam tota propè Lusitania tectis suis confideret, subsultante scilicet solo, ideòque non citò desituram terræmotus vim ita præmonstrante, ut regis, & reginæ exemplum sequuti universi ferè incolæ, tabernacula apertis in locis castrensi more erigere cogerentur: neque in his tamen soluti metu pernoctarent, cùm repentinum aliquem terræ hiatum, quo absorberi possent, non temerè extimescendum arbitrarentur. *Jovius l.29. Hist.*

Argis extat Neptuni Proselystii, id est, inundatoris, templum. Diluisse enim maximam partem agri eo tempore Neptunum memorant, quo Inachus; quique ei in consilio adfuerunt, terram eam Junonis esse debere pronuntiarunt. At deinde cùm Juno exorasset, ut mare deduceret, per quem locum unda refluxit, ibi Proselystio Neptuno templum Argivi erexerunt. *Pausanias in Corinth.*

Liciniforum urbs quondam insignis: & nota Ptolomæi temporibus, in minores abiit pagos, dilapso ut videre est, Eupyli piscoso lacu, in cujus ripa peramænæ fertilitatis Liciniforum adjacebat. Asserunt nonnulli ex vehementi terræmotu Eupylum cæco terræ hiatu haustum subsedisse, profundioribusque alvei inæqualis locis reliquisse exiguos quinque lacus, è quibus Lamber amnis emittitur. *Jovius in vita Othonis Vicecomitis.*

Terræmotu afflictæ.

Tota Lydia, quæ circa Mæandrum, terræmotibus, & exustionibus obnoxia. Hinc fortasse fluvius flexuosus redditus, cùm propter terram putrem, & salsuginosam copiosum limum deducat, & alveum sæpe mutet; mari limum ipsum retrudente, Itaque Pryene, quæ priùs ad mare erat, limi aggestione mediterranea facta est ad stadia CCL. Philadelphia certè, Laodicea, & Apamia sæpe terræmotibus concussæ sunt. Proinde Neptunum colunt, quamvis mediterranei sint. *Strabo l.12.*

Dum apud Actium M. Antonius conflictatur cum Cæsare, septimo regni Herodis anno, Judæa terra, quali nunquam antè motu concussa, magnam per totam eam regionem jactura fecit pecudum: quin & hominum oppressa sunt ruinis circiter decem millia; militaris tamen multitudo nihil detrimenti accepit, ut pote sub dio agitans. *Josephus l.15. c.septimo Antiq.*

Anno Sal. 746. Imperii Constantini Copronymi sexto, mense Januario, terra Syria maximo tremore quassata est, quo templa, ac monasteria pleraque corruerunt, ac ruinis multa hominum millia elisa sunt. *Sigonius l.3. regni Ital.*

Anno 1258. terræmotus vehemens Poloniam concussit, & animos hominum propter raritatem rei, non metu tantùm verùm etiam religione implevit: velut magnorum malorum, quæ mox consecuta sunt, prodigium. Nam & civilibus bellis mox agitata, & Tartarorum excursionibus afflicta est. *Cromerus l.9.*

Anno Christi 1200. ad quintum Nonarum Maii terræmotus vehemens meridiano tempore excitatus, aliquot diebus consequentibus per multa ædificia in Polonia, & in vicinia ejus conquassavit. Quæres inaudita prope modum in iis regionibus, prodigii loco habita est. Bella civilia inter Miecislaum Seniorem, & Lescum Album ejus nepotem redintegrata, nec multò post horrenda Tartarorum incursio. *Crom. l.7.*

Ab hostibus vastatæ.
☞ *Vide Tit. Populi suis exactis sedibus. Illic Patriæ habetur ratio, hìc Regionis amissæ.*

Judæa tot annis 70. vasta, & inculta jacuit, abductis primùm à Nabucodonosore optimis quibusque, relictis tantùm pro agro colendo ignavissimis, quibus præfecit Godoliam. Quo ab Ismaele interfecto, Joannes dux cum omnibus in Ægyptum confugit. Ubi post quinquennium subacta Ægypto, Babylonem omnes abducti sunt. *Josephus l.10. c.11. Antiq.*

Archidamus, dux Lacedæmoniorum, maximis copiis impressionem fecit in Atticam, eamque decem annis divexavit, Gra-

Gravissimam autem noxam inflixit Acharnensibus, succisis omnibus arboribus, ut testatur & Synesius in Encomio Calvirii. Proinde cum funditus tollerentur omnia, bellum Ardamicum dicebatur. *Erasmus in Adagiis.*

Gothi duce Athaulfo post direptam urbem Romam per Latium, Volscos, Campaniam, Calabros, Salentinos, Apulos, Brutios, longè, & latè sparsi vagantes, & velut ingens quædam calamitas vastantes universa, Consentiam venerunt. Post quadraginta annos Gensericus cum Vandalis, & Mauris, capta Roma, totum Campaniæ tractum populatus est, Nolamque miserabili ruina diruit. *Paulus Diaconus.*

Sub Augusto, & Tiberio Impp. ob bella regio Laconica propè erat desolata, vetusti status comparatione, qui jam præclari populi multitudine olim floruerat. (Nam præter Spartam exilia quædam numero circiter XXX. restabant oppidula,) Priscis annis centum præerat urbibus, & ob id Hecatompolis vocata. Inde quotannis per eos boves centenos immolari consuetum fuerat, quod sacrum Hecatombas appellabant. *Strabo l.8.*

Pannonia ante Valentis imperium à Vandalis, mox à Gothis, deinde usque ad Martianum Imperatorem ab Hunnis habitata: post Attilæ verò mortem à Gothis, sive Ostrogothis recuperata, teste Procopio, & Jornande: deinde verò circa Justiniani tempora à Longobardis subacta: & post quadraginta duos annos ab his ipsis, in Italiam populariter commigrantibus, sub pacto Hunnis relicta, *Paulo Diacono teste.*

Hungari audita Arnulphi Imp. morte, qui eorum opera contra Zuendebaldum Marahensium regem fuerat usus, magno collecto exercitu, Ludovicum regem Arnulphi F. deficientes, Maravonorum sedes, quos olim debellaverant, occuparunt, & in Bajoariorum fines irrumpentes, ecclesias igne devastarunt, interfectorum sanguinem potarunt, Ludovicum IV. regem magna strage ad Lycum fluvium profligarunt. Ea victoria elati, Bavarorum, Suevorum, Francorum, Saxonum urbes pervagati, cædibus, rapinis, incendiis omnia misceuerunt prædam pretiosissimam, ac captivos innumeros abduxerunt, paucis interjectis annis, Italiam, Longobardiamque invaserunt.

Sub Lothario Imp. Normanni Britannicum mare occupantes, Ligeris fluvii ostia ingressi, repentina irruptione loca adjacentia cædibus, igne, ac rapinis populati sunt. Erant ii Danis finitimi, Oceani accolæ, reliquiæ gentium Septentrionalium, quas Carolus Magnus devicit, piraticam exercentes otræ tantùm maritimæ infesti, qui ad primum Francorum occursum refugiebant. Sed tamen Franciam continuo latrocinio adeò infestarunt, ut sub nullo alio hoste tantum afflictaretur. Lutetiam ingenti præda spoliantes, primùm dulcedine spolii allecti, reversi sunt. Nanetes invadunt sabbatho S. Paschæ, & episcopum cum clero sacris intentum obtruncant. Dehinc Andegavum diripiunt, ac Turonensem urbem fuga civium desertam spoliant. Templum S. Martini incendio deficedant, abductis omnibus, quæ agi, ferrique poterant: morari diutiùs non ausi, adventante cum exercitu Carolo Calvo rege, cujus hoc erat ea tempestate regnum. *Cuspinianus.* Tandem cùm annis 20. Franciam vexassent, in patriam suam reversi sunt, & in se invicem mutuis cædibus adeo sævierunt, ut de regia stirpe tantum unus puer permanserit superstes. *Sigeber.*

Vastata à Tartaris Ungaria, Bela IV. rex post illorum discessum naufragii tabulas recolligens, plurimos jam semiferos in sylvis, in quas fugerant, reperit. Quinetiam equi domino carentes, liberè vagati, sylvestres facti sunt, quo quidem genere Carpathii adhuc montes abundant, jubati pedum tenus, *Bonfinius l.8. Dec.2.*

Tartari Russia vastata, Poloniam anno Christi 1240. miserè depopulati sunt. *Cromerus l.8.*

Cùm Valdemarus Danorum rex Selavorum urbem Coczcoam diripuisset, & Sclavos in paludes confugientes cepisset, integri armentorum greges à militibus abacti sunt, regio tota usque adeò incendiis vastata, ut hirundines quoque tectis quibus habitare consueverant, orbatæ, gubernaculis navium, atque proris, fœtum procreaturæ, nidos affigerent, domiciliorum usum ab hostibus mutuantes. *Saxo l.14.*

Ab Animalibus vastatæ.

☞ *De his inter Efficientes causas Paupertatis superiore loco egimus.*

Desertæ. Cultoribus viduatæ.

☞ *Vide Tit. Gentis excidium.*

Snione Danis imperante, fame cogente, tertiam partem populi sorte ducta aliò migrare contigit. Interea Dania regio rarescente cultorum opera, sylvestrem indui vultum, & informi succrescentium nemorum densitate perhorruit. Quod præsens quoque camporum ejus facies prodit. Quæ enim olim feracia frugum jugera fuerant, eadem nunc arboreo stipite conserta visuntur. Atque ubi olim cultores terram altius versantes vastas dissipavere glebas, illic nunc enatum nemus servantia adhuc veteris culturæ vestigium jura complectitur. Quæ nisi cultore vacua, ac diuturno situ vasta mansissent, nequaquam unius ruris glebam inter factos aratro sulcos, tenacesque arborum radices partiri potuissent. Colles enim, nunc sylvæ in plano humandorum cadaverum cura olim extructos, occupant. Cernere etiam est crebros petrarum acervos sylvarum saltibus intersitos, quas toto quondam rure dispersas, ne proscindendis ubique sulcis officerent conjectis in struem molibus rustica cura collegerat. *Saxo l.8.*

Multa huc ex loco de Geographia transferri possunt.

☞ *Notet Lector proximo loco de Religione, qui amplissimus est, nos secutos ordinem, & digestionem Zuingeri, ut illius intentioni in ea tractanda, aliquousque satisfecisse videamur. Interim multa eorundem à nobis adferuntur in loco de sacrificio, Oratione, Pœnitentia, & nonnullis aliis, quorum exercitia, aut cultus in medium adferuntur.*

Religio.

Definitio, et Etymologia.

Religio Græcis dicitur θρησκεία, à Thracibus ductâ origine, ut quidam volunt, apud quos plurimum cæremoniæ viguere, (hinc εὐλαβοθρησκεία apud Apostolum *ad Coloss.* 2. id est, arbitrarius cultus) & Σεβασβεία, id est, cultus Dei. Nomen Religio ductum est vel à religendo, quòd ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpe animo sint revolvenda: & veluti relegenda, ut vult *Isidorus l.10. Etymolog. c.17.* ex Cicerone, vel à reiigendo, quòd per eam, Deum, quem per peccatum reiicimus, religamus, ut inquit Augustinus, *lib.10. de Civit. cap.4.* vel à religando: quod Deo astringat, & alliget. Ita Lactantius *lib.4. divin. Institut. cap.38.* D. Augustin. *lib 1. retract. cap.13.* & D. Hieronym. *in cap.9. Amos*, quæ derivatio maximè videtur nomini, & rei consentanea.

Definitur à *D. Augustino l.83.qq.q.31.*ex Cicerone, Religio est virtus, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, cultum, cæremoniamque adfert.

Religio est, qua se anima uni Deo, unde se peccato separaverat, reconciliatione ligat. *secundùm Aug. lib. de quantit. animæ.*

Religio, id est, cultus Dei, quatuor nominibus nuncupatur, duobus apud Græcos, quæ sunt latria, & theosebia, id est, cultus divinus vel bonus: & duobus Latinis. Sed differunt, quia theosebia respicit cultum Dei interiorem, qui propriè pertinet ad virtutes theologicas: Latria verò respicit exteriorem servitutem, quæ pertinet ad justitiam. *ex B. Bonavent. 1. Sent. dist.8. q.2. art.3.*

Ut religio varia significatione à Latinis, ita ab Hebræis exprimitur. *Æmunach*, id est, fides dicta est. 2. *Machab.* opinatio, sensus, 3. *Dachala*, Dechila, Dechula, timor; veneratio, cultus, 4. *Tariz*, via, ratio vitæ. 5. *Jirah*, reverentia, pietas in Deum. 6. *Rachama*, intimus affectus, charitas. Quæ omnia nomina verum, & sincerum vitæ Religionis sensum adumbrant. In novo testamento variis nominibus insignitur, nempe timoris, reverentiæ, cultus, pietatis, &c.

* Religionis Actus.

D. Thomas enumerat varios actus Religionis, alios internos, alios externos. Internos ponit duos, devotionem, & orationem.

Externos facit reliquos, adorationem, sacrificium, oblationem primitiarum, & donorum, decimarum, votum, Juramentum, adjurationem, laudem. Quibus infra adjungit gratiarum actionem: quamvis duo ultima sub oratione commodè comprehendantur, tanquam pars, vel species illius.

☞ *Quæ deinceps ex Zuingeri in hac Religionis usurpatione adferuntur, ex aliis locis illustrari non incommodè poterunt, ut puta etiam in præsenti, ubi de Religionis libertate infra à nobis agetur: ac aliis nonnullis, tum in initio, tum alibi indicantis.*

INVEN-

A INVENTORES RELIGIONIS.

☞ *Veræ religionis inventio nulla, ut pote quæ Deum solum, hominem nullum, non inventorem, sed inspiratorem habeat, & legislatorem. Sed qui primi hanc revelationem adeptam communicavere aliis, non magis Inventores quàm Doctores dici merentur.*

Veri Dei religio non aliunde manavit, nisi ab ipso Deo. Etenim Deus, *teste Lactantio in libro de Ira Dei*, religionis causa nos fecit, ut sibi nos statim geniti justos, & debitos honores haberemus, ipsum solum veneraremur, ipsum sequeremur, in ipso denique acquiescemus, uti est in Deuteronomii capite sexto, ita jubente Domino: Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Ex quo, hoc vinculo pietatis obstricti, & religati Deo sumus: unde ut eidem placet, religio nomen accepit, At *Cicero in secundo de Natura deorum*, à relegando fluxisse opinatur, scribens: Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter tractarent, & tanquam relegerent, hi dicti sunt Religiosi, à relegendo. *Polydorus.*

B INSTAURATORES RELIGIONIS.

☞ *Consule Tit. Piorum Principum, Infra.*

Deos Laban patris sui, & soceri Jacobi, furabatur Rachel fugiens. At Jacobus tandem domui suæ, & omnibus, qui secum erant, præcepit inquiens: Abiicite Deos alienos, qui sunt inter vos, mundamini, & immutate vestimenta vestra. Itaque eos illi cum inauribus, quæ in illorum auribus erant, dederunt Jacobo: quos ille subter quercum, quæ erat juxta Sichem, defodit. *Gen.* 32. & 35.

Gedeon Joæ F. è tribu Manassis, cùm Israelitæ propter idololatriam à Madianitis graviter premerentur, angeli jussu decem servis stipatus, noctu propter oppidanorum metum aram Baalim patris sui diruit, lucum succidit, & aram Domino in ejusdem arcis jugo ritè construens, taurum in ea solido sacrificio concremavit. Manè cùm cum oppidani ad necem postularent, Joas pater progressus. Si Baal deus est, filium meum ante crastinum manè propter hoc factum Baal ulciscatur, & morte afficiat. Ex quibus verbis Gedeon tum Jerobaal vocatus est. C Maxima inde facinora contra Madianitas gessit. *Judicum* 5.

Asa Judæorum rex Abiami F. Duidem abavum suum imitatus, effeminatos omnes è terra sua exegit, idola sustulit, matrem quoque suam Maaham, Absalomi filiam, imperio abdicavit, quoniam Pani sacellum extruxisset, simulacrum ipsum excidit, & apud torrentem Cedron cremavit. 3. *Reg.* 15.

Cùm Jojada Pontifex Joam puerum septennem, qui solus Ochoziæ regis liberis supererat, regem creasset, Baalis ædem diruit, omnesque sacerdotes ejus interfecit. 4. *Reg.* 11. & 2. *Paralip.* 22.

Jehu Josaphati F. cùm Dei jussu regnum Israelitarum occupasset, & omnes de stirpe Achabi peremisset. Baali quoque sacerdotes astu circumvenit Samariæ. Simulans enim se Baali rem divinam facturum, omnes sacerdotes in ædem convocavit, & octoginta percussoribus immissis, in templo interfici curavit: idola omnia cremavit, ædem diruit, & in latrinas redegit. 4. *Reg.* 10.

Josias rex Judæorum, Ammonis F. anno Regni XIIX. ætatis suæ XXVI. cùm animum adjecisset ad templum Joræ restaurandum, & repurgandum, & Helcias Pontifex max. librum Legis, in abstruso templi loco repertum, ei misisset legendum, scissis suis vestibus, patris sui, avique Manassis negligentiam detestatus, convocato universo populo, librum prælegi curavit, & religionem ex eo correxit. Idola omnia subtulit, igni cremavit, cinerem in torrentem Cedron abjecit, aras humanis ossibus profanavit: falsos prophetas super aram Bethelensem à Jeroboamo constructam mactavit: sacella omnia diruit, apud Judæos simul, & apud reliquias Israelitarum. 4. *Regum* 23.

Ezechias Judæorũ rex, patri Achaz impio succedens, sacella sustulit, statuas perfregit, lucum succidit, serpentem æneum à Moyse in deserto factum (cui ad id temporum Israelitæ adolebant) contrivit, & Nehoštan ab ære appellavit. 4. *Reg.* 18. & 2. *Paral.* 24. Templum Domini à patre suo Achaz impio clausum lustrari curavit, & Paschæ festum, multo item tempore intermissum, per omnia Judæorum, atque etiam Israelitarum oppida indixit Hierosolymis celebrandum. Fecit etiam sacrificia magnifica, qualia à tempore Salomonis facta non fuerant. 2. *Par.* 29. & 30. & *Josephus. lib.9. Antiq. cap.14.*

Chilianus cum sociis suis Dolomano, & Telmano, Ducem Herbipolensem ad Christum converterunt, anno 697. E Cæterum cum Chilianus Duci suaderet, uti Gellanam, fratris priùs conjugem, dimitteret, ne incestum committeret: immisit illa sicarios, qui Chilianum è medio sustulerunt. Mox verò Gellana cum sicariis à dæmone correpta, rem omnem evulgavit. *Sigebertus.*

Vortimerus Britannorum rex pulsis Saxonibus, ad Christi templa restituenda, ad reparandam Ethnicorum erudelitate labefactatam religionem, toto conatu animum intendit. Nam Saxonum feritate Britanniam pervagante, alii Britonum gentis à vera pietate alienati ethnico more malis litabant dæmonibus, alii & multò plures ritum eum aversati, Pelagianam hæresim semel abjuratam denuò sunt amplexi. Utrique errori uti mederentur, Germanus Altissiodorensis, & Lupus Trecensis è Gallia Vortimeri regis opera acciti, multos, ac pios impendere sudores. Idolorum cultores aut exulare, aut diris pœnis ultima subire coegit. Antistitum conventum Londini habuit. Pelagianos convictos, nisi resipiscerent, flammis exussit. *H. Boetius lib.7.*

F MAGISTRI, DOCTORES, PROPAGATORES Religionis. Qui. Puta.

Christus Dominus.

Primitiæ mortuorum Dominus noster Jesus Christus ludibria, maledicta, convicia, multa, horrendaque supplicia, & ignominiosissimam crucis mortem sustinuit: ut pro quibus ipse volens, ac libens talia patiebatur, eosdem ad patiendas martyrii pœnas suo excitaret exemplo. Jam tum dux inclytissimus milites suos non armis munivit, sed toleratione confirmavit, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere; sed eum potiùs timete, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam. Et: Qui perdiderit animam suam, inveniet eam. Et: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Si ergo commoriemur (sicut Apostolus inquit) & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus.

Ejusdem erga nos charitas effecit, ut nisi proximos nostros dilexerimus, non injusti solùm, sed etiam ingrati simus. Si enim Dei Filius pro hominibus homo factus est, si formam servi accepit, si mori voluit: quanta ingratitudo est, nos tantillum gratiæ illi referre nolle, ut eos diligamus, quos ipse sic amavit? Profectò indignus est beneficio redemptionis, qui communis redemptionis aspernatur consortem, & inter feras belluas computandus, dum ita exuit humanitatem, ut hominem contemnat, quem juvare conditio, genus, natura, Deus hortantur. Ne malos quidem odisse debemus, sed modis, quibus commodiùs fieri potest, ut corrigantur, curare. *Marul. & Sabell. lib.5. cap.2.*

Legislatores.

Moyses legis scriptæ auctor fuit, seu potiùs Dei opt. max. interpres, ut qui lapideas tabulas Dei digito exaratas ex monte Sina detulit: quas tamen cùm ira commotus fregisset terræ illisas, ipse postea similes confecit: lapideas itidem, ut legis duritiem, & austeritatem vel ipsa materia indicaret. *Consule Titulum, Prophetarum.*

Jesus Christus Dei Filius ipsemet Patris. λόγος atq; veritas ex cœlo descendit, non lapide, sed pretioso suo sanguine benignam Evangelii, gratiæque legem descripsit, & confirmavit, id denique in veritate effecit, quod mysticè virga sua Moyses significavit, quando ex scopulo durissimo aquæ limpidissimæ fontem produxit. Quod etiam significavit in eleganti illo colloquio cum Samaritana. *Joan.* 4.

Sacerdotes, Sacri homines.

☞ *Qui publicè, & ex professo religionis Doctores extiterè, sub Titulo concionatorum, & Christianæ fidei Doctorum à nobis sunt enumerati, ac huc quoque transferri possunt, propter religiosum affectum erga cæteros homines.*

Legimus. S. Petro Hierosolymis primùm verba ad populum faciente, die uno tria hominum millia baptizata fuisse, indies quoque credentium crevisse numerum. Sed & alio deinde die quinque millia superioribus addita. Cùm autem Petrus gentiles quoque Domini jugo subiiciendos per visum cognovisset: Cornelium centurionem, & qui domi cum illo erant, credentes, baptizavit. Qui ergo paulò ante una

tantùm, atque altera prædicatione tam multos converterit, A idem etiam paucos non contempsit: ita ut neque itineris laborem ad Joppe Cæsaream usque evocatus, recusaret. *Marulus lib.3. cap.4. Actor.10.cap.*

Paulus Apostolus transire maturavit in Macedoniam, cùm vir macedo in visu apparens ei, suppliciter poposcisset, ut eò veniens ipsos adjuvaret. *Marulus lib.3.cap.4 ex Actor.16.cap.*

Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcop. in reditu ex Ægypto, ubi sacros quosdam libros conquisierat, in Græcia multos philosophos convertit. Antiochiæ verò, quo cum Eubulo præceptore suo venerat, Libanium Sophistam, & discipulos ejus. Recitat ex Amphilochio *Vincent. in Speculo lib.14.cap.78* Ejusdem Basilii miraculo quodam Arrianos multos conversos scribit. *Nauclerus Generatione* 13.

Quòd Angli opera in primis Gregorii Magni Pontificis Christiani sunt facti, causam fuisse tradunt, quòd ita usu venit, ut mancipia quædam Anglica egregiæ formæ Romam ducta publicè venderentur. Quæ Gregorius, qui tum erat tantùm Romanus sacerdos, conspicatus, fertur valde demiratus esse indolem, venustatemque, quàm præ se ferebant: ac vir pietatis B plenus vehementer illorum vicem doluisse, quòd tam præclarum hominum genus veri Dei esset ignorans, Quocirca ei post pontificatum adeptum nihil antiquius fuit, quàm ut persuaso Ethelberto Cantiorum rege per Augustinum monachum, Angli populariter in reipublicæ Christianæ societatem venirent. *Polydorus lib.4.*

Eugenium III. per Hadrianum Anglum Norvegiam (Onuphrius & Succiam addit) ad religionem traduxisse, testatur *Ranulphus lib.6.cap.22.* Legatus Romam reversus, ob rem præclarè gestam post Anastasii obitum pontifex creatus est. *Mart. Polon.*

Byrinus occidentales Saxones ad fidem Christi deduxit. *Beda libro tertio, capite septimo.* Audomarus Evangelii luce Tarvanenses ab idolorum cultu reduxit. *Vicentius l.23. c.108.* Jaruma Episcopus, Sigherum orientalium Saxonum regem cum suo populo apostatam, ad Christi fidem retraxit concione pœnitentiæ. *Beda lib.3.cap.30.*

Bonifacius Anglus Germanorum Apostolus, Moguntinus Episcopus, Hassos, sylvas & lucos adorantes, convertit. C *Hedio lib.6. cap.17. hist. Eccl.* & seductores, quos appellabant Dortcin, Berter, Camberth, & Unradt, compescuit. *Regino lib.2. Sigebertus in Chronico, & Crantzius lib.7. cap.* 10. Ac passim ordinavit alios Doctores, & Episcopos. *Hedio lib.6.cap.21.* Thuringos armis aggressus, victis Hungaris, ad fidem traduxit. Et apud Vusmariensis, arborem quam pagani pro Jove colebant, destruxit. *Chronicon Isenacense*. Maximam multitudinem Frisiorum convertit, circiter annum Domini 752. *ut testis est Adon Viennensis ætate 6.*

De Palladio Scotorum Episcopo narrat Bergomensis, quòd à Cælestino ad Scotos missus, magnam Occidentis partem ad Christi fidem adduxerit, sub finem Honorii Imperatoris, annum circiter Christi 430.

Prædicatorum nominatissimus Vincentius tantùm prædicatione valuit, ut in Hispania quinque millia Judæorum ad Christum dicatur convertisse, in Mauritania octo millia Saracenorum: in urbe quoque Granata docuit infideles, donec à rege ejectus ad suos rediit invitus. Italiam etiam, Galliamque D prædicando peragravit: nec labore victus, nec periculo deterritus, dum ad æternæ salutis beatitudinem adipiscendam omnes invitat. Illud in Psalmo prophetæ promissum implens: *Doceboiniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Marul. lib.3 cap.4.*

Reges.

Josaphat Asæ F. Judæorum rex, anno regni sui tertio, proceres suos cum sacerdotibus, & Levitis misit per universam Judæam, qui Legis librum docerent: quinimmò & ipse jam confirmato regno ad Dei cultum præsens populum adhortatus est. Et propterea tantus terror vicinos invasit, ut nullum Josaphato bellum inferre auderent, & Arabes ei tributum penderent. 2. *Paralip.* 17. & 19.

Ezechias rex Judæorum sanctissimus, præcones misit per omnes Israelitarum tribus, qui eos ad pœnitentiam vocarent, & ad Paschatis festum Hierosolymis celebrandum invitarent. At major pars irrisit. Quidam tamen ex Aserianis, Manassensibus, & Zabulonis paruerunt: & quamvis lustrati non essent, precibus tamen Ezechiæ à Domino purificati, festum Azymorum peregerunt. 2. *Paralip.*30.

Constantinus Magnus, studium incredibile dies, noctesque adhibuit eripiendi omnibus hominibus errores idololatricos. Itaque & summam Christianæ pietatis omnibus omnium gentium provincialibus misit: ac veris rationibus subditos admonuit, ut summum Deum cognoscerent, ipsumque Christum servatorem palam nuncuparent, & amplecterentur. E

Valentinianus II. Imp. assiduis Theodosii Magni Imp. objurgationibus, atque adhortationibus Catholicam pietatem præ Ariana hæresi amplexus est. *Vide Tit. Inconstantes in Religione.*

Justinianus II. Imp. Amasgorum principibus prohibuit, ne pueros ampliùs castrarent: ac populum illum lucos, & arbores pro diis colentem, ad fidem Christi per sacerdotes adduxit. *Zonaras, Tomo tertio.*

Carolo Magno mortuo, ad pristinas idolomanias redierunt Hungari. Sed Gbysa dux Hungariæ filius Toxis, divinitus amore veritatis accensus, è vicinis regionibus viros pietate, & doctrina insignes accersivit, qui Christum in gente barbara docerent. *Bonfinius.*

Ercombertus, seu Ethelbertus, rex Cantiorum primus in F toto suo regno, anno Domini 640. idola deferi præcepit: & delubra in templa Christianorum, & monasteria seu scholas commutavit. *Beda lib.3. cap. 5. hist. Anglicæ: Sigebertus in Chronico. Polydor. lib.2. & 4. Fasciculis temporum.*

Osualdus Northumbrorum rex sanctissimus, Aidanum Scotum ad docendum populum evocavit. Cùmque is, qui nondum Anglicam linguam sciente callebat, quæ ut rudis, & planè Saxonica, ac nondum ejus eloquutione emendata, parum affinitatis per id tempus cum Scotica habebat, suo sermone Christianum dogma doceret, & rex qui Scoticæ linguę probè sciens erat, ex ore sanctissimi viri verba excipiens populo mira claritate explanaret: inde fiebat, ut Episcopus, & rex uno tempore Evangelium prædicarent, & populus partim sacerdotali, partim regia majestate adductus, diligentius illud attenderet, imbiberetque. *Polyd. lib.4.*

Vandalos primò Carolus Magnus armis convertit, deinde Otho primus, tertiò princeps Godfcalcus. Sed eo anno Sal. 1060. cæso, horrenda persecutio in Christianos orta, ita ut sedes Aldenburgensis per an. 84. vacarit. *Crantzius lib.4. Metrop. cap. ultimo.*

Jagello Magnus Lituaniæ dux, idololatra, mortuo Ludovico Hungarorum, & Poloniæ rege, Heduingin Ludovici filiam uxorem duxit: Baptisma cum regno Poloniæ suscepit, & Uladislaus dictus est, anno Christi 1386. Inito regno in Lituaniam cum regina profectus, de religione Christiana populariter suscipienda egit, non solùm hortando, & orando, & præmiis invitando, sed etiam docendo, cùm Poloni sacerdotes linguæ imperiti essent: ipseautem Rufficam callęns, Polonos loquentes intelligeret. Ægrè gens barbara majorum suorum religiones relinquebat. Sed cum jussu regis sacer ignis extinctus, templum, araque ejus diruta, & adytum, unde oracula à sacerdote edebantur, eversum Vilnæ esset, necatique serpentes, & succisi luci, nulla cujusquam læsione (quod præter opinionem Barbarorum acciderat) tùm verò Barbari, alacriores ad principum suorum religionem facti, & aliquot diebus Symbolum, & orationem Dominicam, pio rege nullum laborem subterfugiente edocti, Christianis mysteriis de more initiati sunt. *Cromerus lib.15.*

Captivi.

Paulinus Episcopus Nolanus, pro cujusdam viduæ filio captivo redimendo, sese ipsum in servum tradiderat. In Africam abductus Arcadio imperante, suos Dominos convertit. *Bergomensis ex Augustino.*

Parentes, Majores.

Docuit exemplo memorabili Protoplastus, quæ omnium prima sit liberis disciplina inculcanda. Nam cum duorum pater esset, uterque ab eo edoctus est cœli numen venerari: est enim hæc primaria sapientia, Obtulit itaque hic, qui terræ cultor fuit, frugum primitias: alter, qui pastor erat, agnos, & quicquid eximium ex toto grege potuit, in holocaustum dedit. *Sab. lib.3. cap.2.*

Noe, qui unus mortalium cum sua domo cataclysmo superfuit, liberos non modò in antiqua pietate id tempus tenuit, nullaque passus est vitiorum labe contingi, quæ plus nimio in terris invaluerat, sed cùm in fabricanda arca à cæteris deli-

rus haberetur, filii, & universa domus semper in officio fuere, A & ad omne senis imperium parati. *Sab. lib.3. cap.1.*

Israelitis in deserto Dominus præcepit, ut legem traditam pater filiis proponeret: quòd nulla hac institutione fidelior, aut sincerior esse posset. *Deuteron.* 4.

Parentes Susannæ cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Mosis. *Danielis* 13.

Tobias Nephthalensis, ab utroque parente pupillus relictus, à Debora paterna avia in religione sincera eruditus fuit, ut solus verum Deum coluerit, reliquis vitulos aureos adorantibus. *Tobiæ* 11.

Matathias sacerdos, qui solus sese Antiocho Epiphani oppositit, jam moriturus, filios suos quinque hortatus est, uti legem Dei vitæ anteponerent, fuisque insistentes vestigiis, Simeonis natu maximi fratris consilia, & Judæ Machabæi virtuti parerent. *Machab.2. Joseph. lib.12.cap.7.*

Hebraica mulier Syriacis temporibus cum Septem filiis de religione appellata, propositaque impunitate, si à patriæ cultu discederet, auctor fuit adolescentibus, ut citiùs montem oppe- B terent, quàm à majorum pietate declinarent. Cujus vocem, & imperium reveriti, unus post alium sese morti devoverunt: satius rati, se privari vita, quàm matri non parere honesta, & utilia præcipienti. *Sabellicus lib.3.cap.1.*

Lois, & Eunice, hæc mater, illa avia, Timotheum filium, multum licèt reclamante patre idolorum sectatore, in pietate Christiana erudierunt, ut postmodum tantus Christi præco evaserit, quantum D. Paulus in utraque Epistola fuisse prædicat.

Theodosius Imp. qui multis laboribus, & periculis, mediocrem effecit tranquillitatis statum, tam in Ecclesia ab hæreticorum turbulentis actionibus, quàm ab hostium insidiosis, ac perfidis incursionibus, cupiens eam felicitatem ad posteritatem transmittì, filios suos Arcadium, & Honorium accersitos jam moriturus, ardentiore affectu, & oratione magis seria cohortatur per salutem ipsorum, & Reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes, hoc sibi unicè curæ esse vellent, quòd fidei, & pietati doctrina pura, & incorrupta conservaretur, & ad posteros propagaretur, in eo conando nullis laboribus, ac sumptibus par- C cerent: nam in hoc uno, & solo omnis felicitatis summam verè esse positam: hucque ratione unica, nec ulla alia, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari victorias. *Theodoretus lib.5.cap.25.*

Venceslaus Boemiæ dux, è Drabonucia (quæ & Drachomira dicta fuit) uxor duos reliquit filios, Venceslaum & Boleslaum. Drabonucia mulier erat audax, & ad scelera quævis prona. Venceslaum inde Ludmilla avia, Boleslaum mater Drabonucia enutrivit: illa Christiana, hæc gentilis erat. Alumni nutricum imitati mores, Venceslaus pietatem Christi, Boleslaus idolorum culturam sectabatur. Ægrè ferebat Drabonucia, Venceslaum Christi cultorem esse, socrumque Ludmillam strangulari fecit. Ipsa deinde Imperium suscepit. Inter fratres jam adultos cùm ducatus divideretur, pars Boleslao, quem mater moribus suis congruentem sequuta est, datur: Venceslao princeps Pragæ creatus, cùm apud Othonem I. Imp. gratia valeret, matris odium incurrit. Cogitabat fratri pontè principatu cedere, & monasterium ingredi. Natalis dies aderat infantuli recens ex Boleslao editi: paratur convivium regale, vocatur Ven- D ceslaus. Qui cum more suo media nocte iret ad templum, à fratre regnandi cupido, matris suasu, interficitur. *Hieron. Ziglerus de illust. Viris Germ.*

Alfonsus Aragonum, & Siciliæ rex, cùm filium suum ad ulciscendas Florentinorum injurias (qui cum hostibus perpetam, & iniquè fœdus contra Alfonsum fecerant) magno cum exercitu misisset, post longam filii institutionem, hæc adjecit: Nunc maximè te admoneo, fili, ne tantum aut tuę, aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes absque Dei auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industriæ paratur, sed Dei optimi max. benignitate & arbitrio. Scientia igitur rei militaris ita demùm profutura est: si Deum nobis pietate, atque innocentia pacatum, propitiumque habuerimus. Deum igitur imprimis cole, in eum confide: à quo tum victorias omnes, & optima quæquè provenire non dubium est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, cave contendas: immo quicquid ab eo tibi accidisse videatur, boni consule, & patientia, & pœnitentia eum placa. *Panormit. lib.2. de gestis Alfonsi.* Ejus oratio pietatis plena extat *apud Marinæum lib.* 11. *rer. Hispan.*

Cambyses Persarum rex, Cyro filio, ad avum Astyagem regem Medorum ituro, hæc imprimis mandata dedit, ut est E apud Xenophontem scriptum: Hæc à me discas, fili, quæ habentur maxima. Nihil à te vel publicis, vel privatis rebus agendum, nisi sacris peractis, deorumque voluntate auguriis perspecta, & cognita: Humanum enim genus erroribus plenum est. At dii cùm semper fuerint, cùmque omnia norint, præsentia, præterita, & futura, invocati adsunt consultationibus hominum, quibus propitii ob pietatem fuerint: significe ostendunt, quid agere, quibusve abstinere oporteat. *Xenophon. lib.1. Pædiæ Cyri.*

Conjuges.

Hierosolymis Porterii principis viri servus Phanias, filiæ ejus amore captus, quoniam potiundæ spes nulla esset, Magos consuluit.

☞ *Quære infra Tit. Amor religiosus erga homines, ea, quæ merentur tribuens. §. Modi quo tribuitur. Orando pro aliis, &c.* F

Anno Justini senioris quarto, Theodorus, & Clotharius Francorum reges armis sociatis Herminfredum Thuringorum regem bello prosequuntur. Quo victo cum toto exercitu, Clotharius Radegundam virginem, Bertharii fratris Herminfredi filiam captivam secum adductam, matrimonio sibi junxit, & sua consuetudine, ac monitionibus ad veram Christi fidem convertit: Quæ deinceps monasterium intra Pictaviensem urbem erexisse, & religiosis precandi, & juvandi pauperes studiis, singulare pietatis laudem, nomenque apud omnes sibi comparasse dicitur. *Gregorius Turonensis lib.3. Hist. cap.4.*

Placillia Theodosii Romanorum Imperatoris uxor, cùm videret maritum à pietatis studio alienum magis esse, quàm Imperatorem deceret, subinde ad eum dixisse fertur: Considerare te oportet, quis anteà fueris, & in quem locum te evexerit Deus. Si enim perpetuam ejus rei obtineris memoriam, non prorsus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præstabis: sed ex præscripto legum Dei, quod ab eo accepisti, gubernabis imperium: & ita eum, qui tibi, G ut fideli ministro commisit, ritè coles. *Nicephorus Callistus lib.12. cap.42.*

Cæsarea Persarum regina, seu Parthorum, ad Constantium (alii Constantem malunt) Imperatoris Heraclii nepotem clàm marito Constantinopolim veniens, baptismi lavacro est admota: nec priùs inde profecta, quàm maritum in sententiam suam traxerit. Ille enim paeato agmine cum quadraginta Persarum millibus ad uxorem veniens, cum omni comitatu sacris undis est admotus. *Egnat. lib.1. cap....*

Eduinus Northumbrorum rex, opera Ethelbergæ uxoris, quæ soror erat Edbaldi Cantiorum regis, ad fidem Christi perductus est, cooperante Paulino antistite, anno 627. *Polydorus lib.4. Anglorum.*

Gregorius I. Pontifex Rom. gentis Longobardicæ præliis, & incursionibus assiduè vexatus, quæ Italiam ferè omnem gentili quadam immanitate lacerabat, Theodelindæ reginæ opera, Bavarici sanguinis, & Christianæ pietatis observantissimæ fœminæ, quæ Authari Longobardorum regi Ariano nupserat, coque mortuo Agilulfum Taurinatium ducem in thori, regnique societatem acceperat, tantum præ- H stitit, ut præferocem imprimis regem abjurare perfidiam traditam à majoribus coegerit: inde gentem à malorum dæmonum cultu, detestandaque hæresi vindicarit. Restituit inde omnia rex Agilulfus, quæ Longobardi priùs divorum templis ademerant, additis insuper donariis. Visigothis, qui Hispaniam tenebant, auctor fuisse creditur, ut abdicata Ariana hæresi, orthodoxam fidem amplecterentur. *Egnatius lib.1. cap.1. Sigonius libro primo regni Italici ex Paulo Diacono.*

Sigeberti Mediomatricum regis filia Childeberti soror Jucundis Hermengildo Leonegildi Visigothorum regis majori filio nupserat, Regia ea Arianam sectam sequebatur. Sanctitate uxoris Francæ, & Leandri Episcopi Hispalensis voce Hermengildus adductus, religionem nostram professus, metu patris ob id ira succensi, cum Mirone Galleco rege, & ducibus, quibus à Mauricio Hispani limitis custodia credita erat, fœdere icto, uxorem è recenti partu languentem, filiumque infantem apud eos deposuit, ipse Emeritam concessit cum quingentis delectissimis viris. Patet ea paucitate contempta, priùs quàm ad favorem majestatis filii plures con- fluerent,

A flauerent, justusque exercitus fieret, adveniens, eum comprehensum secuti percussit. Nurus à Mauricii Imperatoris ducibus in Africam cum filio transfucta, non multò post obiit, Filius infans Constantinopolim deportatus est. *Æmilius lib. 1. Turonensis lib. 5. cap. 38. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 5. cap. 10. Sigebertus in Chronico: Regino lib. 1. Beda de Ratione temporum.*

GISELA soror Henrici II. Imp. formosissima fuit. Hanc sibi in uxorem expetivit Hungarorum regulus. Geironis F. specie illius captus: quem per nuncios, & pictores excellentissimam esse cognoverat. Ea Regem Hungarorum maritum aspernata est, nisi abjecto idololatriæ cultu lavacro Baptismi ablueretur, & Christum cum universis suis subditis confiteretur. Accepit conditionem ille, & Stephanus est novo nomine dictus: simulque universum Hungarorum regnum fidem Christi assumpsit, Adalberto docente. Unde Imp. Henricus Ungarorum est Apostolus dictus. Stephanus cum filium ex Gisela tulisset, Henricum ab Imperatore voluit appellari: licèt corruptè hodie Emericus vocitetur. Est hic cum patre in numerum Sanctorum dehinc relatus, ut testantur Hungarorum Annales, uterque miraculis claruit. *Cuspin.* Ea mulier B vel regem antea baptizatum, ut Bonfinius narrat, in fide confirmavit, vel adhuc idololatram, ut Sigebertus scribit, eò adduxit, ut se, & totam gentem Ungarorum baptizari expeteret, anno Domini 1010. fatalè nomen fortita videtur, Stephano tanquam obses, & fidei vinculum facta. Gisela enim Germanis obsidem valet, erebrum apud eos fœminarum nomen, cùm vim quandam divinam concordię amorisque mutui inesse feminis crederent, & efficaciùs obligari animos eorum existimarent, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperarentur. *Aventinus lib. 5. Annal. Bojorum.*

GORMO III. Danorum rex, Haraldi F. crudelissimus vermis: (sic enim vernacula Germanorum lingua nomen sonat breviatum) implacabili odio Christi religionem insectatus, templa, ac basilicas subvertit, fideles exquisitis suppliciis excruciavit. Thira filia Edelfredi Anglorum regis ducta, ab ea conversus est. *Saxo, & Crantzius.*

D. MARGARITA Angla Malcolmo III. Scotorum regi nupta, & maritum, & subditos ad religionis studium mirificè C inflammavit. *H. Boetbius.*

MIECISLAUS Polonorum Dux, patre mortuo inauguratus, uxores septem barbarico more duxit; iisque, & libidini suæ liberius indulgens, nullos suscipiebat liberos. Suasu deinde quorundam, religionis Christianæ veritatem, castitatemque prædicantium, potteritatem, & felicitatem principi, si eam religionem amplecteretur, pollicentium, priores uxores dimisit, & Dambrovucam Christianam, Boleslai primi boemorum ducis filiam virginem, de concilii sententia, novo matrimonio sibi junxit, anno Domini DCCCCLXV. Cujus ope conversus, basilicas novem diversis locis ædificavit, & locupletavit. *Cromeus lib. 2. & 3.*

Hostes.

Deus Israelitis Palæstinam non totam dedit, sed Gentes ferocissimas in circuitu reliquit, quæ erudirent Israelem, ne rebus fecundis insolescens pietatis oblivisceretur. *Libri Judicum cap. 3.*

D ☞ *Consulatur Locus de Belgico, ubi recensentur, qui apud Belgas religionem Christi prædicarunt. Item Locus de Episcopis, Latè.*

RELIGIONIS EXERCITATIO.
CONSIDERATA SECUNDUM FORMAM. Huc RELIGIONIS VERÆ SUÆ Observatio.

☞ *Ex Tit. Religiosorum principum, item Monachorum, Ecclesiarum, exempla quædam universim desumi possunt. Nam alioqui singulares observationes, utputa Sacrorum, Precum, Festorum dierum in speciali enarratione describentur.*

Fecit Noe omnia, quæ præcepit ei Dominus, ideò à diluvio servatus est. *Genes. cap. 6. & 7.*

Judæi è Babylone reduces in festo umbraculorum, duce Nehemia, & Esdra, fœdus novum cum Domino Deo percusserunt, & sacramento sese astrinxerunt, sese ex divina lege victuros. 2. *Esdræ* 10.

Convocantes duodecim Apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: *Non est æquum, nos derelinquere* E *verbum Dei, & ministrare mensis.* Illæ autem mensæ erant pauperum & viduarum. Per quod datur intelligi, quòd opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis. *Act. 6.*

Confessio. Tum *Aperta.*

☞ *Ex Titulo, Martyrum, & Constantiæ religiosæ illustretur.*

PETRUS, qui ad vocem unius ancillæ pavefactus Christum negaverat, accepto Spiritu S. fuit tanta virtute indutus, ut coram populo Pharisæorum, ac magistratuum collegio ipsum cum omni fiducia prædicaret. *Matth. 29. Act. 2.* Principes sacerdotum comminati fuerant Petro & Joanni, ne ultrà loquerentur in nomine Jesu. Qui responderunt eis: An justum est, vos potiùs audire quàm Dominum? Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. Deinde cum arguerentur à principibus sacerdotum, quia non servassent corum mandatum, responderunt; Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Actorum cap. 4.* F

EUNUCHUS Candacis reginæ Æthiopum legatus, baptizandus à Philippo Apostolo, ait: Credo filium Dei esse Jesum Christum. Itaque Philippus baptizavit eum. *Act. 8.*

NEMESION quidam Ægyptius, delatus quasi latronum contubernalis, & de ea calumnia apud Centurionem Alexandriæ purgatus, de Christianismo accusatur, sub Decio. Judex duplo eum acerbiùs, quàm latrones, torturis, ac flagris afflictatum, inter latrones comburit. Stabant ante tribunal frequentes quidam è militari ordine, Ammon, Zenon, Ptolemæus, Ingenuus, ac senex Theophilus cum illis: & cùm Christianus quidam judicaretur, jamque ad negandum inclinaret, rumpebantur isti astantes intra se: ac vultu innuebant, manuque extenta, & totius corporis moribus ad constantiam hortabantur. Cum autem ad eos cuncti adspicerent, antequam quisquam ex ipsis caperetur, prævenientes capturam, ad ipsa subsellia ultrò assiliunt, & se Christianos esse dicunt: G ita ut & præses, & assessores perterrefierent, & Christiani, qui judicabantur, ad ferendas passiones strenui, judices verò timidi redderentur. Discedunt itaque isti à tribunalibus alacres, & propter fidei testimonium exultabundi, Deo per illos gloriosè triumphanti. *Dionysius Alexandrinus in sua epistola, apud Eusebium.*

Illustriss. femina Constantinopolitana Juliana, tam constanter Chalcedonensem synodum asseruit, ut nec Imperator Anastasius, nec ipse Timotheus Episcopus hæreticus, ullis artibus eam eo impellere potuerint, ut vel hæreticum ipsorum dogma probaret, vel amicitia Timothei uteretur. *Paulus Diaconus lib. 15. rerum Rom.*

In Antiochena synodo Meletius Antiochiæ Episcopus factus est ab Arianis, ea spe, quòd cum quoque Arianum esse crederent. At ille, cum sententiam suam de Christi natura proferre juberetur, tribus erectis digitis, moxque in volam adductis duobus, uno relicto erecto, laude dignam ejusmodi vocem emisit: Tria sunt quæ intelliguntur, unum autem quod compellamus. Spe ergo sua Constantinus Imp. cum Arianis frustratus, Meletium in exilium expulit, eique Euzojum manifestum impietatis Arianæ patronum substituit. *Theodoret.* H *lib. 2. cap. 31. Sozom. lib. 5. cap. 28.* ait: Cùm Meletius filium ejusdem esse essentiæ cum patre diceret, Archidiaconum accurrisse, manuque os ejus obturasse. Tunc Meletium manu sententiam suam explicasse.

ARCHIMENIDES, qui & Horsmidas appellatus est, cùm in Persia Christianam religionem in maxima priorum persecutione profiteretur, vocatus à Varane rege, & objurgatus ob fidei confessionem (quam in homine extinguere minis conabatur) respondit: Impia, atque difficilia à me petis rex, qui universitatis Deum nequaquam abjuro, ut tuæ majestatis fiam amicus. Majus enim est crimen, divinam, quàm regiam, lædere majestatem. *Nicephorus lib. 4. cap. 20. hist. Eccl.*

Cum Sotericus, & Philoxenus synodi Chalcedonensis hostes intelligerent, synodum contra Heliam Episcopum Hierosolymitanum congregatam impediri, vi adorti sunt Theodosium S. Martini in Campania abbatem, uti synodus effectum sortiretur. Sed Theodosius omnibus convocatis, suggestum conscendit: & manu multitudini silentium imperans, in hæc verba Stentorea voce rupit: Si quis quatuor synodos quatuor Evangeliis non exæquat, anathema sit. His verbis

verbis prolatis, circumstantes ipsius verba tanquam ange- A lis suspicientes, in magnam admirationem adduxit, ac cum silentio per medium populum processit. Deinde litteras ad Imperatorem dedit, quibus indicavit, se pro vera religione ad sanguinem usque pugnaturum: neque si quid accidat, se ullo modo à sententia quatuor conciliorum discessurum. Postremò urbes circumiens, homines in pia doctrina contra hæreticos animavit, & confirmavit, ac Christum Deum simul, & hominem in una persona prædicavit, & hanc quoque esse synodi Chalcedonensis sententiam, quàm hæretici declinarent, affirmarit. Imperator eum exilio mulctavit: à quo tamen, mortuo eo, revocatus est. *Nicephorus lib. 16. cap. 33.*

ARMERICUS Albanus præfectus, quem Turcæ in mari ceperant, Byzantium perductus, dum ei rex vitam se concessurum dixisset, si Mahumetum Turcarum Deum deinceps coleret, negans id unquam se facturum in duas sectus partes magna, constantique voluntate mortem obiit. *Bembus lib. 5. hist. Venetæ.*

LAURENTIUS Medices, quicquid alii tradant, de religione optimè sensit, ita ut eos quoque, quorum minùs de ea re B ésti essent sensus, aculeo orationis perstringeret: Minimè, inquiens; mirandum esse, mortuos homines (ita vocabat religiosos, & dubitantes) de animarum immortalitate, & de beata vita dubitare. *Brutus lib. 8. hist. Flor.*

Occulta. Nicodemitæ.

Sub Achab, & Jezabele Elias omnes, se solo excepto, reputabat idololatras. Sed dixit ei per responsum Dominus: Supersunt mihi in Israel septem millia Virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. 3. *Reg.* 19.

ACHOMATES Bassa, Stephani Cherschii reguli in Illyrico F. ob ereptam sibi à patre sponsam, ex Christiano furore præciptì factus Turca, & Bajazetis gener, nihilominus semper Christianis favit, & crucifixi imaginem secretò adoravit. *Jovius.*

RELIGIONIS VERÆ ALIORUM, APPROBATIO Laus, defensio.

CYRUS, Darius, Xerxes, reges Persarum, Judæorum reli- C gioni tantùm tribuerunt, ut Judæos ad restaurandum templum Hierosolymam remiserint, duce Zorobabele, munera amplissima cum omnibus vasis sacris à Nabuchodonosor ablatis dederint, & sumptus quoque in sacrificia Samaritanis vicinis tributi loco imperaverint, ut pro Persarum gentes assiduè deprecarentur. *Josephus lib. 11. cap. 3. & 4. ex 1. Esdræ cap. 1. & 6.*

ALEXANDER Magnus Hierosolymam oppugnaturus, ob negatum commeatum, & auxiliares copias adversus Darium, cùm ad urbem venisset, & ipsi Jaddus pontifex habitu sacerdotali indutus, cum reliquis sacerdotibus, & populo obviàm ivisset: religione tactus, & urbi pepercit, & Hebræorum Deum adoravit, eique sacrificavit. *Josephus lib. 11. cap. 8. Antiq. & Sab. lib. 4. Ev. 4.*

ANTIOCHUS Magnus, victo Ptolemæo Epiphane, & Hierosolymis occupatis, edictum in honorem regni per totum suum regnum propofuit tale: Nemini alienigenæ liceat intra septa templi ingredi contra voluntatem Judæorum, sed solis hoc facere fas sit, qui juxta præscriptum legis patriæ D purificati priùs fuerint. Nemo etiam in urbem carnes equinas, aut mulinas inferat, nec asini, sive feri, sive domestici, nec pantheræ, aut vulpis, aut leporis, aut cujusvis omnino, ex his animalibus, quæ Judæis vetitum est, attingere, ac neque pelles eorum inferre liceat, aut aliquid ex his in urbe alere: sed tantùm solitas more majorum mactare victimas, quibus Deus litari sibi vult. Qui verò aliquid contra edictum hoc fecerit, trium millium drachmarum argenti mulctam luat sacerdotibus. *Joseph. lib. 12. cap. 3.*

ANTIOCHUS Sedetes, Hircanum III. Judæorum ducem, & pontificem Hierosolymis gravi obsidione urgebat. Hyrcanus postquam cognovit sibi obesse suorum multitudinem, quòd inutiliter absumerentur ad victum necessaria, secretò eam infirmiorem turbam ejecit extra mœnia, solis retentis, qui ob vigorem ætatis ad pugnam erant idonei. Antiochus autem exclusos vetabat progredi, ita ut miserabiliter obertantes mœnibus conficerentur inedia. Sed cùm supervenisset festum scenopegiæ, miseratione suorum rursus in urbem recepti sunt. Rex etiam rogatus ut gratia festi inducias se- E ptem diérum concederet, religione motus impetrari eas passus est: nec hoc contentus, victimas misit magnificè, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea, quàm argentea referta omne genus aromatibus: & exercitui præbuit epulum longè diversum ab Antiocho Epiphane, qui capta urbe porcos super altari mactaverat, & jure carnium illarum, templum asperserat, violatis Judæorum legibus simul, & cæremoniis, unde acerbissima exorta sunt ejus gentis contra eum odia. At hic Antiochus propter religionem Pius cognominatus est ab omnibus. Hyrcanus verò cognita ejus æquitate, & pietate delectatus, legatos ad eum misit, rogantes ut liceat sibi patriis vivere legibus. Tum rex repulsis, qui suadebant internecione delendam gentem infociabilem, & discretam instituto à reliquis omnibus, & approbata Judæorum pietate, imperavit ut obsessi arma sibi traderent, & vectigalia Joppes, cæterarumque extra Judæam urbium concederent, & quia præsidium accipere detrectabant, darent regi obsides, & D. talenta insuper: quorum CCC. mox repræsentata sunt, & inter obsides fuit etiam ipsius Hyrcani frater: dejectaque mox lorica: quæ imposita erat mœnibus, soluta est obsidio. Cæterum Hyrcanus aperto monumento Davidis, qui olim regum om- F nium fuerat ditissimus, tria millia talentorum inde protulit: quibus pecuniis fretus, primus omnium cepit externum militem alere: & inito cum rege fœdere, excepto in urbem cum exercitu tractavit liberalissimè: quin & protectum in expeditionem Parthicam secutus est unà cum auxiliis, *Josephus lib. 13. cap. 16. Antiq. & Nicolaus Damascenus.* Attingit quoque *Plutarchus in Regum apoph.*

SELEUCUS Philopator Syriæ Rex, propter Oniæ pontificis pietatem Hierosolymitanum fanum in maximo habuit honore, & præclaris ornavit muneribus, omnesque ad sacrificiorum procurationem necessarios sumptus de suo redditu suppeditavit. 2. *Macbab.* 3.

HECATÆUS Abderita causam refert, cur nullus vel poeta, vel historicus mentionem Judæorum legis faciat, aut virorum, qui juxta ejus præscriptum res suas administraverunt, quod sacrosancta sit, & profano ore tractari non debeat. Itaque Demetrius Phaleræus Ptolemæo Philadelpho dogma- G sit, ut Judæorum Pontifici scriberet, uti senos ex singulis tribubus seniores legis peritissimos mitteret, qui eos libros interpretarentur. *Josephus lib. 12. cap. 2. Antiq.*

PTOLEMÆUS Philometor, Ægypti rex, permisit Oniæ Judæo exuli, uti in regione Heliopolitana templum extrueret simile Hierosolymitano, iisdem sacrorum ritibus: id quod Esaias propheta ante DC. annos prædixerat. *Josephus lib. 13. cap. 6. Antiq.*

L. VITELLIUS Syriæ præfectus sub Tiberio, Judæorum amicus, stolam pontificiam, quàm prius Judææ præfecti in arce Antonia custodire solebant, sacerdotibus custodiendam dedit, civibus vectigal fructuum remisit, & cum Herode Tetrarcha, & amicis in templum sacrificaturus ascendit. Exercitum contra Arabas ducens, quia sciebat Judæos signa Romana propter imagines exosa habere, per aliam viam milites incedere jussit, ne in Judæorum religionem peccaret. *Josephus lib. 18. cap. 7.*

APMONITUS Tiberius à Pilato de Christi morte, ac dogmate, ad senatum retulit, censuitque Christum in Deos refe- H rendum, ac templo honorandum. Fieri id non modò senatus vetuit, quod non ad se priùs, sed ad Tiberium scripsisset Pilatus: verùm etiam pellendos urbe tota Christianos censuit. Propofita sunt accusatoribus præmia, quos Tiberius à tanto scelere minis, & morte prohibuit. *Platina.* De eodem sic scribit *Tertullian. in Apologetico:* Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annunciatam sibi ex Syria, Palestinaque veritatem Christi divinitatis detulit ad senatum, cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipsis probaverat, respuit: Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusationibus Christianorum.

Cajus Imp. ☞ *Vide infra Tit. Templorum cultus religiosus, §. non polluenda.*

NERVA Imper. omnes, qui impietatis in Deos rei à Domitiano in exilium fuerant relegati (Christiani scilicet) absolvi voluit, & Domitiani decreta abrogavit. Ergo & Joannes Apostolus, Ephesum ad suam redit Ecclesiam. *Eusebius lib. 3. c. 21. & Dion. Cassius.*

Trajanus certior factus à Plinio II. Bithyniam id tempo-
A ris obtinente, nihil mali in Christianis quotidie ad supplicium
tractis reperiri, jussit, ut non inquirerentur : verum oblati pu-
nirentur. *Polyd.lib.8.cap.7. de Rerum invent.*

Hadrianus ex animo Christianis favit? sed occultè. Quin
& molitum ferunt, ut Christus pro Deo reciperetur, templa-
que in eum usum erexisse : deterritum tamen fuisse consilio
quorundam, qui affirmabant fore, ut cultus omnis Deorum
periret, si id fieret, quod de Christo cogitabat. *Lud. Vives in*
lib.19.Aug.de Civ.Dei, cap.52.

Alexander Severus Imp. superstitionis hostis persæpe
poetæ Persis carmen usurpans : Dicite pontifices, in templo
quid facit aurum : cum Christiani publicum quendam locum
orandi gratia occupassent, contra aurum cauponas quidam
gentiles suum esse contenderent : Alexander respondit : Sa-
tius esse in eo loco Deum coli, quàm cauponas exerceri.
Lampridius. ☞ Vide infrà, *Festorum Religiosa observatio.*

Religionis Falsæ Odium, eversio.

B ☞ *Ex Tit. Magistri religionis Coactione, & Armis, non*
pauca huc transferenda. Item ex Tit. Templorum, & Idolorum
destructorum. Hic Religionis in genere, illic διαφωνος in specie
habetur ratio. Item ex Tit. Constantiæ religiosæ, quatenus ad
alienam se traduci non patitur religionem.

Idololatriam Impugnare.

Constantinus Magnus ann. 331.lege edixit, ne simulacris
sacrificarent, ne vaticinia scifcitarentur, ne sacrificia occulta
facerent, ne civitates monomachiis polluerent. *Euseb.lib.4.*
de vita Constantini. Templa idolorum claudi jussit, *lib.1.Cod.*
de pagan.& sacrificis: ad easque accedere, & sacrificare capita-
li pœna vetuit. *Theod.lib.5.cap.20.& Sozom.lib.1 c.8.* Ac multi
in locis idolorum templa destrui curavit : & pœna capitali
edixit, ne quis gentilis, aruspex, aut sacerdos limen alterius ac-
cedat. *L. nullus aruspex.* Item vetuit, ne quis aruspicem, aut
mathematicum, aut ariolum consulat, *l.nemo aruspicem.* Et ne
quis dæmones invocet *l.multi magicis Cod.de maleficis, & ma-*
C *thematicis.* Et turpes gentilium consuetudines abrogavit.

Valentinianus I. Imp. idolorum cultum in Europa sup-
pressit. *Theod.lib.5.cap.20.* Et una cum Valente, ne quis artem
magicam disceret, interdixit. *l.Culpa similis Cod.de maleficis,*
& mathematicis.

Georgius Episcopus Alexandrinus prohibuit, ne gentes
sacrificarent, & patria festa celebrarent: militesque, & ducem
Ægypti armata manu in civitatem introduxit, & imagines, &
anathemata, & ornatum templorum abstulit. *Sozomen. lib.4.*
cap 36.& lib.5.cap.7.

Justinianus Magnus imperii sui initio persecutionem
Græcæ religionis instituit, cumque multos procerum labe
Ariana vitiatos deprehenderet, bonis eorum publicandis, &
suppliciis irrogandis magnum aliis terrorem incussit, lege
etiam lata, ut nemo nisi orthodoxus Remp. gereret. *Cedrenus.*

Valdemarus Daniæ rex, opera ducum Pomeraniæ, &
principis Obotritorum, devicta terra Rugianorum, simula-
crum illud antiquissimum Zuantevit contrivit, destruit fa-
D num cum omni religione sua, & ærarium locuples diripuit.
Præcepit etiam, ut discederent ab erroribus suis, in quibus
nati fuerant, & assumerent cultum Dei veri. Dedit præterea
sumptus in ædificia Ecclesiarum, & erectæ sunt duodecim Ec-
clesiæ in terra Rugianorum, & constituti sunt sacerdotes, qui
gererent populi curam in his, quæ Dei sunt. *Helmoldus lib.1.*
cap.12.de Sclavis.

Superstitionem.

Mathematici, & arioli prædixerant Heraclio Imp. & ejus
imperio magnum imminere periculum à circumciso populo.
Ideò quique Judæorum toto suo imperio fuere, invitos
Christiano nomini adjunxit. Quod & Dagobertus, & Sisebu-
tus, ejus precibus fecerunt. Et quidem Sisebutus rex Visi-
gothorum in Hispania Hebræos regni sui coegit Christum
agnoscere, baptizata ad xc. millia, *teste Jo. Magno in hi-*
storia Suenonum lib.16.cap.14. Eorum tamen aliquot millia
in Galliam effugerunt, junctique veteribus suæ sententiæ in-
colis ingenti numero conspiciebantur. Turpe videbatur Da-
goberto regi Franco, à Visigothis ejectos religionis nostræ
hostes indomitos, finibus suis receptos diutiùs retinere, ac
Visigothis religione cedere. Igitur diem præstituit, intra
quam quicumque mortalium religionem nostram non profi-
terentur, hostes judicarentur, comprehensique capite lue-
E rent. Plures Judæorum exilium pietati antetulere, reliqui
Christiani effecti incolumes mansere. Hoc verò religioni da-
tum, non Heraclii Imp. gratiæ (ut *Regin.lib.1.& Annonius*
l.4.c.22. volunt) qui à circumcisis magnum Reip. Christianæ
periculum impendere per legatos monuerat. *Æmil.lib.1.con-*
stanter asserit. Cùm militibus stipendium daretur, quere-
renturque Saraceni stipendio se fraudari; tum is, cui id nego-
tium fuerat injunctum : Vix, inquit, est quod Græco, &
Romano militi detur, & hæc canum turba tam impudenter
efflagitat stipendium? Qua voce Saraceni ira accensi, in
Syriam secessere, Damascum occupavere : post Ægyptum
ingressi, subacta Arabia, in Persiam irrupere, & Persis vi-
ctis latissimè Mahometi legem circumtulerunt, captis etiam
Hierosolymis. Quod prævidens Heraclius, prius Dominicam
crucem Byzantium reduxit, *Cusp.*

Hæresim.

☞ *Ex Tit. Hæreticorum, huc exempla*
Persecutorum hæreseon.

Pestiferum Arii dogma, quod sub Constantino altas radi-
ces agere cœperat, sub ejus filio Constantio latissimè propa-
gatum, Juliani Apostatæ tyrannide consopitum, Jovinianus,
qui Juliano successit, jam inde à principio orthodoxus, op-
pressisset, & veram de Deo Homousianorum sententiam
propagasset, nisi morte immatura præventus fuisset. Par stu-
dium Valentinianus I. in Occidente adhibuit, Valente fratre,
qui Orientem regebat, Ariano existente. Patri Valentiniano
successit Gratianus, & Valentinianus II. qui cùm ipsi de Deo
piè sentirent, suis quoque subditis orthodoxos præferre pa-
stores, & religionis puritatem, quantum in ipsis fuit, conser-
varunt, ne penitus à Barbaris, Hunnis, Gothis, Vandalis, ut
imperium Rom. sic & orthodoxa pietas everterentur. *Socra-*
tes, Sozomenus, Theodoretus.

Justinus senior Imperator, Arianam pestem abolere vo-
lens, omnes antistites ejus sectæ ex toto Orientali imperio
eiicere cœpit. Eam rem molestè ferens Theodericus rex G
Gothorum in Italia (quem alii Dieterichum de Berna no-
minant) sese omnibus viribus Justino oppofuit. *Sabell, lib.2.*
Enn. 8.

An. 402. in Africa consilio Milevitano nova Britannici
Pelagii hæresis refutata est : qui Celestio, & Juliano adjutori-
bus prædicabat, unumquemque est justitiam voluntate pro-
pria regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meruit : quia
Adæ peccatum ipsum solùm læserit, nec posteros ejus ob-
strinxerit volentes omni posse vacare peccato, omnesque par-
vulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante prævari-
cationem fuit : eos baptizandos esse, non ut peccato exuan-
tur, sed sacramento adoptionis honorentur. Et his decretis S.
etiam Augustinus Episcopus Hipponensis subscripsit. *Sigon.*
lib.10. Imp. occid.

Constantinus Pogonatus Imper. studuit uniri Ecclesias,
quæ ob Monothelitarum hæresim, jam inde à proavo suo
Heraclio dissidebant. Inductum est itaque consilium Con-
stantinopoli, quòd in ordine sextum est : ac cùm in eo decre-H
tum fuisset, duas voluntates, & duas actiones in Christo cre-
dendas esse : anathematizatis hæreticis Ecclesiæ ab errore li-
beratæ sunt, & plurimi ad veram mentem redierunt. *Acta*
Concilii tomo 2.

Clodoveus Francorum rex, Alarico Visigothorum regi
bellum intulit. Illati prætextus fuit, quòd Visigothi Ariani
essent, Ex Burdegala Vasconiæ Alaricus cum exercitu profe-
ctus, hostem ad se venientem in Pictavis excepit : fuitque id
prælium atrox, & aliquandiu anceps. Ad postremum Alarico
cadente, Visigothi fusi, cæsique sunt, & prima quidem pugna,
post Christianam fidem conditam, feliciter depugnata est.
Exercuit Clodoveus crudeliter victoriam in Arianos, diri-
puitque Burdegalam, & Arianarum urbium præcipuos. *Sab.*
lib.2. Enn.

Anno Justiniani decimoquinto, cùm Clotharius, &
Childebertus fratres, Francorum reges, eductis in campum
copiis signa collaturi essent, Crotochildis mater eorum,
pia, & prudens femina, in medium progressa, utrosque sibi
invicem reconciliavit : & fuasit, ut Hispaniam cum exercitu
invaderent, & Vestgothos Arianos aut ad fidem orthodo-
xam traducerent, aut regno expellerent. Ejus consilio ob-
temperantes, Cæsar Augustam obsidere, & facta deditione,
oppi-

oppidanos juramento adstrinxere ad orthodoxam religio-
A nem. *Robertus Gaguinus lib.1. de gestis Francorum: & Sa-*
bell.lib.3.Enn.8.

Carolus IV. Imp. Urbani V. jussu perniciosam, & superfti-
tiosam Flagellatorum sectam, quæ jam totam pene Alemanni-
am obruerat, armata manu, aliorum Principum auxilio,
compescuit, & ejecit: *Cusp.*

Efficientem Religiosi, Pii homines.

Qui, Quales. Tum Populi.

Judæi distincti sunt à cæteris gentibus, cùm in omnibus
ferè rebus, quæ ad vivendi ritum pertinent, tum maximè,
quòd aliorum Deos omnes negligunt, & soli Deo unico am-
plissimos, & maximos honores tribuunt. Simulacrum Hiero-
solymis nunquam habuerunt : sed ei Deo, cujus nomen non
dici posse, quemque forma vacare arbitrabantur, magnificè
præter cæteros homines, religiosèque serviebant. *Dion.Nicæus*
in Pompejo, & Josephus lib.14.cap.1. Antiquit.

Patriarchæ.

B In civitate impiorum Babylonica enumeranda, sacra Scri-
ptura vicissim civitatis piorum à Sem propagationem recen-
set, filios ejus enumerans, qui singuli gentes singulas pro-
crearunt : inter quos primus est Heber, abnepos Semi, in cu-
jus familia remansit in lingua sancta, divisis per alias linguas
cæteris gentibus : quæ lingua prius humano generi non im-
meritò creditur fuisse communis, ideò deinceps Hebræa est
nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab aliis lin-
guis nomine proprio : sicut aliæ quoque vocatæ sunt nomi-
nibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quàm
humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quæ sola
universum genus humanum loquebatur. *Aug.lib.16.de Civit.*
Dei, cap.11.

Trecentos, & sexaginta quinque annos vixit Enoch, &
ambulasse cum Deo dicitur, atque ob id non apparuisse, quia
tulit eum Deus. Dignus quippe visus, qui tamdiu corpus suum
ab immunditia custodierat, ut cum corpore simul transferre-
tur ad paradisum. *Marul.lib.5.cap.8.*

C Noe cum Deo ambulasse fertur, justus, perfectusque fuis-
se, gratiamque invenisse : & tamen quingentorum jam anno-
rum erat, quando cœpit ædificare arcam: sexcentorum, quan-
do perfecit : nongentorum & quinquaginta, quando vita de-
functus est. Tum diutina innocentiæ, fidei, spei observatione,
meruit solus cum conjuge, liberisque, & nutribus, mundo pe-
reunte, salvari. *Item.*

Abraham centum septuaginta quinque vixit annos, Isaac
centum octoginta, Jacob centum quadraginta septem, omn-
nes tam Deo chari, gratique, ut eorum Deus dici voluerit,
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Nobis isdem in
virtutibus perseverandi facultas tantò quidem datur major,
quantò vita brevior. *Marulus lib.5.cap.8.*

Sacri homines.

☞ *Ex Titulo, Ecclesiasticorum, & Monachorum*
huc plurima.

Hierosolymis habitabat Simeon, homo justus, timens
D Deum, & expectans consolationem Israel : cui Spiritus san-
ctus promiserat, non moriturum priusquam, Christum Domi-
ni vidisset. Hic Christo dum circumciditur superveniens, in
manus accepit puerum, benedixit, & præclarum illud : *Nunc*
dimittis, fideli ore protulit. *Luc.1.*

Zacharias sacerdos, & Elizabetha uxor, parentes Joannis
Baptistæ, incedebant in omnibus mandatis, & justificationi-
bus Domini sine querela. *Lucæ, cap.1.*

Jacobus minor, primus Hierosolymorum Episcopus, fra-
ter Domini, atque ejusdem Apostolus, à Judæis, Christianis-
que simul eodem justi cognomine honestatus fuit. *Fulgosus*
lib.8.cap.17.

Fuit quidam diebus nostris (inquit *D.Gregorius homilia 35.*
in Evangelia.) Stephanus nomine, pater monasterii juxta
Reatinæ urbis mœnia constituti : vir valde sanctus, virtute
patientiæ singularis : & superfunt multi, qui illum noverunt
ejusque vel vitam, vel obitum narrant. Erat autem hujus
lingua rustica, sed docta vita. Hic pro amore cœlestis patriæ
cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat.
Tumultus devitabat hominum, crebris, ac prolixioribus ora-
B tionibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo vehe-
menter excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui
sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gra-
tias. Si quod in ipsa fua inopia damnum fuisset illatum, hoc
maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil
aliud quàm adjutores æstimabat. Hunc cùm dies mortis
egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam san-
ctæ animæ de hoc mundo recedenti, suas animas commen-
darent. Cumque circà lectum illius hi, qui convenerunt, om-
nes assisterent : alii corporeis oculis ingredientes angelos
viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt : alii om-
nino nihil viderunt : sed omnes qui aderant, ita vehementissi-
mus timor perculit, ut nullus egrediente illa sancta anima
illic stare potuerit. Et hi ergo, qui viderant, & hi qui omnino
nihil viderant, uno omnes timore perculsi, & territi fuge-
runt, nullusque illic assistere illo moriente potuit. Pensate er-
go fratres, omnipotens Deus qualiter terreat, quando distri-
ctus judex venturus est, si sic assistentes tetruit, quando gra-
tus, & remunerans venit : aut qualiter timeri potest, cùm vi-
deri potuit, si sic mentes præsentium statuit, & quando videri
non potuit. F

Ivo, natione Brito, sub Carolo IV. Imp. præter doctrinam,
& singularem eloquentiam, mira etiam pietate, celeberrimus
Romæ habitus est. Angelica fuit continentia, & vitam suam à
vino, & ab esu carnium omninò conservavit intactam, corpus
cilicio operuit : jejuniis, vigiliis, & orationibus, disciplinas
plusquam monasticas adjungebat : nudam pro cubili terram
lutcam, rigidum saxum pro cervicali : sacræ Bibliæ volumen,
quod indefinenter portabat, capiti aptabat : fuamque omnem
cum pauperibus, quos procurando defensitabat, conversatio-
nem dixit humillimam. Patrimonium amplum cùm haberet,
eo pauperum, & orphanorum, & viduarum causas protexit,
omnium procuratorum, & advocatorum unica meritò lucer-
na. Vita functus, cùm crebris fulgeret miraculis, inter san-
ctos aggregatus est. Ejus festum IV. Kal.Septembris peragitur.
Crantz.lib.9.Metrop.cap.34.

Reges, Principes.

Josaphat Asæ F. Judæorum rex, pius, & religiosus fuit, & J
propterea à Domino pace diuturna, divitiis amplissimis, G
exercitu numerosissimo dotatus, regno præfuit annis 25. 2.
Paralip.17.

Ezechias Judæorum rex, Achazi regis impii F. sanctissi-
mus fuit, neque ullus ex omnibus Judææ regibus, vel secutus
est, vel præcessit, qui cum eo sit comparandus. 4. *Reg.18.*

Extremum regnum duarum tribuum, quę vocabantur Juda,
& Benjamin, sub Josia fuisse nulli dubium est. Illo enim in-
terfecto, filii ejus, posteà regnaverunt, & nepotes, non tam
regnasse credendi sunt, quàm ludibrio habiti fuisse, ab Ægy-
ptio rege, & Chaldæis variis captivitatibus, mortibusque cru-
ciati. Quia igitur populus poterat se excusare in regibus ma-
lis, & dicere : Nos volumus servire Deo, sed prohibemur à re-
bus, datus est illis rex justus : quo zelante, & populo nihilomi-
nùs in idolorum cultu perseverante, justa iræ causa profertur
à Domino, & prophetatur de eversione Jerusalem, & captivi-
tate Juda, & victoria Nabuchodonosor : *Hier. in c.1. Sophon.*

Agrippa Judæorum rex, patriæ rituum servator religiossis-
mus, purus à contaminamentis omnibus, cui nulla dies præ-
teribat sine sacrificio. *Josephus l.19.c.7.Antiq.*

Constantinus Magnus vir magni animi, & virtutis eximiæ H
fuit, atque inter omnes Imperatores hoc uno nomine maxi-
mè memorabilis, quòd primus ex Imperatoribus non solùm
Christum amplexus sit, sed Christianos etiam Imperatores
reliquerit. Quòd si Augustum jure admiramur, quòd eo re-
gnante ad unum Imperatorem, unumque Deum omnium ter-
renarum, cœlestiumque rerum summa redacta sit, multò ju-
stiore studio ipsum suscipere Constantinum debemus, cui
Deus concessit, ut tam religionem, quàm Imperium gentium
constituerit. Ejus mortis nuncia stella crinita fuit, quæ per
multos ante dies clarissimè fulsit. *Sig.lib.4. Imp.occid.*

Theodosius posterior avi sui & nomen, & pietatem re-
ferens, instituit aulam suam veluti scholam, in qua ad pieta-
tem se, suosque exercuit, habens ordine distributa tempora
frequenter noctu sacrarum litterarum lectioni vacasse scribi-
tur, in quem usum opus quoddam ἀνάμνημα habuit, lucer-
nam sua sponte oleum infundentem. Cùm Ecclesiæ ministris
crebrò congressus, de sacris Scripturis conferebat. Imprimis
vero

verò in ipso commendatur studium, quòd adhibuit in in-
A struenda bibliotheca sacrorum librorum, eorumdemque in-
terpretum: qua laude non inferior fuit Ægyptiorum rege
Ptolemæo. *Socrates lib.7.cap.22. Theodoretus lib. 5. cap. 36.*
Nicephorus lib.14. cap.3. Jejuniis, ac orationibus corpus ma-
cerabat: diluculo ad sorores suas virgines Flacillam, Marti-
nam, & Pulcheriam pergens (quarum Flacilla cœnobio extru-
cto, Deo se, suamque virginitatem perpetuò dicarat) cum iis
divinas laudes personabat.

MARTIANUS, qui Theodosio juniori successit, fuit studio-
sissimus pietatis, & justitiæ: & quod omnium maximè lau-
dandum in principe Christiano, cùm incidisset in Reipubli-
cæ statum turbulentissimum, partim propter palantes barba-
ros, partim propter Eutychetis hæresim, universalem illam
synodum Chalcedone Bithyniæ congregari curavit, ubi ipse
etiam actionibus non aliter, atque olim Magnus Constantinus
interfuit. *Evagrius libro secundo, cap.4. & 8. Nicephorus lib.5.*
cap.7.

ANASTASIUS Artheminus, Philippico in ordinem reda-
cto, imperium occupavit: vir tam in sermonibus cunctis
affabilis, quàm in operibus justus, & apertus, litteras Con-
B stantino Pontifici misit, quibus se acerrimum orthodoxæ
fidei propugnatorem fore pollicitus est. Joannem Patriar-
cham Constantinopolitanum, hominem perversi in fide sen-
sus, submovit.

TIBERIUS Excubitorum comes sub Justino II. ob pietatem
erga Deum, & liberalitatem erga pauperes in tanta fuit gratia,
ut à Justino Imp. successor declararetur.

LEO V. piissimus Imperator filius Basilii Macedonis Imp.
vivente patre Cæsar creatus, postquam Constantinus major
natu ante patrem discessit, Philosophus (quòd litteris, ac po-
tissimùm Astronomiæ esset deditus) cognominatus fuit. *Cuspinianus.*

AGILULFUS per annos XXV. regno Longobardorum
potitus, homo cum bellica laude, tùm Christiana fide
egregiè culta insignis. Hic enim primus inter suos Ca-
tholicam doctrinam suasu Theodelindæ uxoris probavit,
atque Ecclesiis, & monasteriis privilegiis honestissimis,
ac possessionibus fructuosissimis exornatis successores suos
honesto exemplo ad sui imitationem accendit. *Sigonius*
C *lib.2. reg. Ital.*

LUITPRANDUS Longobardorum Rex, primus omnium re-
gum intra palatium suum oratorium S. Salvatoris construx-
it: ubi & sacerdotes, & clericos multos instituit, qui die, no-
ctuque exolverent divina officia. *Bergomensis lib. 10. & Sigo-*
nius lib.3. regni Ital.

SISSEBUTA Gothorum Rex verum Dei cultum mirifica
pietate prosequutus est. *Ritius Neapolitanus lib.1. de Hispa-*
norum regibus.

CINDASUINDUS Rex Gothorum, per annos decem Eccle-
siam, & Rempublicam in summa tranquillitate rexit. *Joan.*
Magnus lib.16. cap.20. hist. Goth.

CLODOVÆUS Francorum rex, Alarico Vestgothorum
regi in Gallia ob Arianam hæresim, sed & regni am-
pliandi cupidine, bellum facturus, cum Episcopos Au-
relianum convenire jussisset, literis eos monuit, se exer-
citui suo, antequàm in agrum Gothorum ingrediatur,
edixisse, ut sanctimonialibus, viduis Deo dicatis, &
clericis, atque Ecclesiarum mancipiis pareeret, neque ul-
lum eis detrimentum inferret: si quem eorum quis ce-
D pisset, statim dimitteret. Cùm per agrum Turonensem
transiret, verecundia S. Martini perfusus, militibus suis
præcepit, ne quidquam ex eò, nisi panem, & aquam
assumerent: non levi defunctutum pœna, qui hoc im-
perium detrectasset. Itaque cùm miles quidam fœnum
pauperi extorsisset, pectus ei gladio hausit, subiiciens:
Ecqua spes victoriæ suberit, si Sancti Martini numen
offenditur? *Sigonius lib.6. Imp. occid.*

Religionis divinæ plurima Carolo Magno fuit cura:
psallendi, legendique officia in Ecclesia discrevit: ipse se
choris psallentium immiscuit: coram se, ubicumque es-
set, divinum peragi religiosè curavit officium, ac mi-
nisterium: sermones patrum, homilias Sanctorum, nec
minus Martyrologia, diligenter inquiri, atque conseri-
bi jussit. *Urspergensis, & Cranzius in Saxonia lib.2.*
cap. 9.

LUDOVICUS, Pius cognomento dictus, quòd religioni Chri-
stianæ, cujus fuit studiosissimus, multum detulit: & summis
Pontificibus maximum exhibuerit honorem. *Cusp.*

CAROLUS Crassus regnum Germaniæ, mox imperium Ita-
liæ, ac Franciæ assecutus, totus religioni deditus, Deo om-
nia sua accepta tulit. E

ROBERTUS Francorum Rex, litteras, ingeniaque, ac
omnes bonas artes summo in pretio habuit, in templis
frequens, numinis reverentissimus, liberalibus studiis, sa-
crisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus,
Antiphonas, sacraque responsa quædam edidit judicio Ec-
clesiæ universæ probata, receptaque. Ejus illa sunt:
Sancti Spiritus adsit nobis gratia. O constantia Marty-
rum. O Juda. Ferunt, cùm Avalonem obsideret, nul-
lo oppugnante quassanteve, sed in tabernaculo hym-
num, *Agnus Dei*, concinente, sua sponte magnam
murorum partem corruisse, velut divinitus, ipsis super-
ris veneratori suo gratiam præsentem referentibus: *Æmi-*
lius lib.3. & Martinus Polonus, & Ranulphus libro sexto
Polychronici.

PRISCUS erat Regum Gallorum mos, quem S. Ludovicus
à puero optimè reservavit, ut Rex è lecto surgens in genua
prosideret, veniam peccatorum postulans, Deo gratias
agens de nocturna sui custodia, & orans, ut porrò in sancta
hac custodia pergat. Hoc facto, ex Bibliis, dum se vestiebat
Rex, legebatur. *Bodinus lib.3. Dæmon. cap.1.* F

EDGARUS Angliæ Rex, præcipuè pietatem coluit, viros-
que magnæ doctrinæ, sanctitatis, integritatis, atque pruden-
tiæ, in suum domesticum delegit consilium, illosque tan-
tùm populo Christiano præesse voluit. *Polydorus Virg. lib.6.*
B *Ang. hist.*

CONVALLO apud Scotos regnante, mirum in modum
Christi floruit religio, cunctis penè sese in regios mo-
res (qui optimi erant) transformantibus. Fama tantæ
in Rege religionis, sanctissimum Columbum ab Hiber-
nia, ubi haud paucis patrum cœnobiis præerat, cum
piorum cœtu pertraxit in Albionem. Is in Hebrides pri-
mùm, inde in Hiberniam rediens, rogatus Hermathię,
quænam vidisset in Albione miracula? Unum omnium
instar, respondit: regem videlicet Convallum, in me-
diis constitutum delicuis, cuique multò plura essent ad
malum quàm ad virtutem incitamenta, cùm sacerdoti-
bus, Monachis, & venerandis Episcopis de vitæ sancti-
monia confidentem. Cujus probata virtus cunctis suæ
gentis adeò esset reverenda, ut ipsi nec aliis esse inju-
rii, nec de rege ipso hiscere sinistri quippiam auderent.
Unde effectum fit, ut plus spectata in rege virtus fero- G
cem populum à solitis flagitiis, domesticisque seditioni-
bus, in quas natura proclives essent, quàm ejusdem
auctoritas, coercere. *H. Boethius lib.9.*

OSUALDUS Northumbriæ Rex, impii Ethelfredi F. sanctis-
simus fuit. A Donevaldo Scotorum rege Aidanum Episco-
pum impetravit, cujus opera populus in religione institue-
retur. Cui cùm in munere sacro obeundo plurimum obes-
set Saxonicæ linguæ ignorantia, eoque minus à populo in-
telligeretur: rex Osualdus: ex proximo suggestu, quæ pa-
tria lingua dixisset Aidanus, Saxonicè interpretabatur. Scie-
bat enim Scoticè juxta, atque Saxonicè: quatum alteram
linguam domi, alteram exul apud Scotos didicerat. Itaque
ad Christi pietatem amplexandam populum movit, non
tam reverendi antistitis Adiani religiosa, ac continuata con-
cio, quàm regis Osualdi, in multitudine ritè imbuenda,
pius, ac fervens labor. Septem perpetuis diebus mortalium
ampliùs quàm quindecim millia sacro fonte abluta fuerunt:
quorum haud pauci, vitæ, fortunæque rebus contemptis,
sacræ doctrinæ, ac orationi addicti, in vitam abierunt so-
litariam. Idem Osualdus à Penda Merciorum rege regnan- H
di libidine concito cæsus, miraculorum claritate aliquot
post annos insignis, in divorum numerum relatus est. *H.*
Boethius lib.9.

HENRICUS VII. Imperator sæpè totas noctes ante imaginem
Crucifixi (quam semper secum circumferebat) oravit, & pec-
cata deflevit. Solitus aliquando sacram Eucharistiam quoti-
die, aliquando in summis festis accipere.

CAROLUS IV. Imp. pietatem à prima statim pueritia secta-
tus est tanto studio, ut primus Cæsarum nonnulla Evangelia
etiam scripto interpretatus sit. *Dubravius lib. 22.*

ALBERTUS IV. dux Austriæ, non erubescebat publicè cum
sacerdotibus & psallere, & cantare, solemniaque sacra quàm
devotissimè concelebrare. Quod impii & scelerati homines
illi vitio vertebant, adsentes eum monachum, non princi-
pem esse, *Cuspinianus in Alberto 2.*

BOLESLAUS Pius, in Boemorum regno patri Boleslao suevo
successit, qui XX. templa à fundamentis excitavit, singulaque
sacerdotiis

sacerdotiis, censu, & agris donavit. *Dubravius lib. 5.*
A Venceslaus IV. Boemorum rex, nullum diem transire
patiebatur, quo non divina sacrificia cum sacerdote celebra-
ret, tali animi fervore, ut nullius interpellatione preces suas
intermpteret, ac sæpius cùm domum orationis primus in-
gredereturr, ultimus egrederetur. Duos verò ante matrimo-
nium cum Juditha Rodolphi Cæsaris F. contractum conti-
nuos annos, cilicium, quod castigandi corporis gratia in-
duerat, non exuit. At jejunium, qua cepit abstinentia, etiam
maritus perpetuò servavit. Proindeque pietati ejus datum vi-
detur, quòd conjuratio Zavissiana ipso Jejunii tempore dete-
cta fuit, & oppressa. *Dubravius l.18.*

Alfonsus IX. Castellæ rex, multis locis Maurorum occu-
patis, eorum Regibus occisis, trecentas Ecclesias ædificavit, &
magnis redditibus dotavit: princeps Christianissimus, & in re-
bus, quæ divinum cultum augere videbantur, tam liberalis
quàm fervens, & pius. *Tarapha de regibus Hispan.*

Ferdinandus Catholicus Hispaniæ rex, non priùs cibum su-
mebat, quàm vel Episcopus, vel alius sacerdos mensam, &
ea, quæ sibi apponebantur, benedixisset, & in fine Deo gra-
tias egisset. Nec comedit unquam, ne in itinere quidem,
quin rem divinam priùs audivisset. *Marinæus l.21. rerum*
B *Hispan.*

Alfonsus senior, Alfonsi junioris Calabriæ ducis avus,
omnes ætatis, suæ multorumque antè sæculorum reges su-
peravit studio veræ religionis. Eum certè titus Christianos,
ac solemnes ceremonias tanto cultu observasse certum est, ut
ne ab ipsis quidem Pontificibus in hoc vinceretur. *Pontanus*
de Principis institutione.

Alphonsus Congensis Rex Æthiopum, fuit in sceleribus
vindicandis acer, & in egentium inopia sublevanda benignus,
in regni opibus stabiliendis industrius, in moribus, atque vita
continens, in religionis studio sanctus, atque tam infrigidi pie-
tate præditus, ut cœlum semper intueri videretur. Sive enim
jus diceret, sive cum populo ageret, sive belli consilium, sive
pacis iniret, semper Deum in oculis, & conspectu proponе-
bat, omniaque ad illius gloriam revocabat. Literarum ludos
aperiri jussit, magistros magna mercede conduxit, ut pueros
non literis tantùm, sed multo etiam studio pietatis imbue-
rent. Ipse verò tempus, quod sibi à negotio publico vacaret,
in literis consumebat. Evangeliorum sententias innumera-
biles, & prophetarum oracula in ore semper habuit. Nam
C & lectione perpetua multum in sanctarum litterarum studio
profecerat, & quæcumque à sacerdotibus audierat, in illius
memoria penitus infixa permanebant. Frequentes ad populum
conciones habuit, quibus illum ad pietatem, & religionem
ardenter incitabat. Regem Lusitaniæ Emmanuelem tanta fi-
de coluit, ut sæpè diceret, se nullam esse de rebus humanis
voluntatem perceptutum, antequàm in Lusitaniam veniret,
ut ad Emanuelis pedes provolutus, illi se totum addiceret.
Quòd enim cœlesti luce fruereturr, quod verum Deum cole-
ret, quod ad immortalem vitam aspiraret, id totum esse Ema-
nueli Regi clarissimo, atque sanctissimo acceptum referen-
dum. *Osorius l.10. rerum Em.*

Duces.

Non prætermisit Josue Israelitarum dux de universis man-
datis Domini ne verbum unum. *Josue 11.*

Narses eunuchus, Italia singulari Dei beneficio post an-
num fermè centesimum sexagesimum liberata, animum ad
eam instaurandam, atque à superioribus calamitatibus su-
D blevandam convertit, præcipuè ne Belisario videretur infe-
rior, qui ei studio, quoad per hostes, bellumque licuerat, di-
ligentissimè inservierat, magnamque ex ea re laudem retule-
rat. Fuit enim, ut inquit Paulus, vir summa pietate orna-
tus, religione Catholicus, erga pauperes benignus, in re-
parandis basilicis diligens, ac demùm vigiliis, & precibus
usque adeò deditus, ut plures victorias supplicationibus di-
vinis, quàm terroribus bellicis, obtinuerit. *Evagrius lib.4.*
c.24. Procopius l.3. de bello Gothico, eundem omnem rerum
successum, omnemque belli felicitatem uni Deo, cum sum-
ma reverentia, acceptam retulisse: & milites in aciem pro-
gressuros ad similem pietatem hortatum esse, scribit. Ad-
dit *Bergomensis in Supplemento Chronicorum l.9.* eum ob be-
neficia à Venetis accepta in ea urbe Theodoro martyri de-
lubrum, ubi nunc est celeberrimum sancti Marci templum,
& alterum Mennæ, & Geminiano, ex Gothorum manubiis
posuisse.

CABAONES dux Maurorum circa Tripolim, postquam Van-
dalos bellum adversùs se movere audivit, primùm subditis
suis præcepit, ut ab omni iniquitate, & cibo, qui ad desi- E
cias faceret, abstinerent, omniumque maximè à mulierum
consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse
cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit: mortis
supplicium minatus, si quis feminarum vallum ingressus
esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum manda-
tis, si quid impii à Vandalis in Christianorum templis perpe-
trari viderent, ut illi spectarent, & posteà, cùm Vandali di-
scessissent, illud restituerent. Ac subjecit, se quidem Deum,
quem Christiani colerent, ignorare: consentaneum verò si-
bi videri siquidem (quod diceretur) foris, potensque esset, ut
contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Ex-
ploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli
apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christia-
norum templa equos, & jumenta introduci, lasciviam, &
libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, & alia multa
impia, & horrenda à Vandalis fieri spectarunt. Illi post eo-
rum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt,
& eleemosynas in pauperes largè distribuerunt. Tandem
facto conflictu, Vandali ad unum omnes sunt trucidati, &
Marusii victoriam reportarunt. *Evagrius l.4. c.15. Nicepho-*
rus l.17. c.11. F

Magnus Sforcia Deum optimum, divosque omnes sin-
cerè coluit. In hoc tamen notatur, quod in bello ora-
tionum præsidia crebriora reiiceret, ac diceret, esse neces-
se bella gerenti, cuncta rapinis, cædibus ac incendiis per-
miscere: neque vel infanda scelera posse puniri, corrupta
jam militari disciplina. Qua in re ducem belli, præfectum-
que à severitate urbani prætoris plurimùm differre opor-
tere. Sed palàm eatum rerum agnoscebat culpam, & ve-
niam secretò precabatur: quotidiana sacra audire: aut si
instante negotio impediretur, postridie ea repetere, &
quotannis pio, pœnitentique animo expiare sese, maximè-
que Sanctissimi Sacramenti hostiam ritè suscipere solitus.
Id verò demùm probi, & verecundi ducis esse prædica-
bat, honestiorem belli causam sequi, inviolata templa
præstare, in captivis pudicitiam tueri: nunquam abuti
sanguine militum, aut hostium cæde lætari. *Jovius in ejus*
vita.

Privati quivis.

Sanctus, & mirabilis vir Job, nec indigena, nec prosely-
tus, id est, advena populi Israel fuit: sed ex gente Idu- G
mæa genus ducens, ex terra Huz, quam Ausitidem alii vo-
cant, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudat-
que eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nul-
lus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora
ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus
tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelitæ in au-
ctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione po-
steriorem fuisse, quàm Israelem. Divinitus autem provi-
sum fuisse, non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per
alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, ci-
que placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem.
Quod nemini concessum fuisse, credendum est, nisi cui
divinitus revelatus est unus mediator Dei, & hominum
homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis san-
ctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nuncia-
tus est. *D. Augustin. lib.18. de Civitate Dei, cap.47. Aris-*
teus in Judaica historia, Job etiam filium fuisse refert Etau,
habitasseque in Idumæa, & Arabiæ finibus, justitia, & di-
vitiis præcipuum, tentatumque divinitus magnis calamitati-
bus, ac cætera ordine, ut nos in sacris legimus libris. *Vi-* H
ves ibidem.

AMINADAB Benjamita tantæ fuit pietatis, ut cùm Caria-
thiarimenses arcam Domini à Palæstinis captam, & remissam
Bethsamen, Bethsamensibus per legatos petentibus, sustulis-
sent, Gabaam in domum Aminadabi eam intulerint, ejusque
filium Eleazarum ad eam custodiendam consecrarint. Eoque
in loco per 20. annos mansit, donec eam David rex in Civita-
tem suam intulit. *1. Reg.7.*

Mulieres.

☞ *Vide Titulum, Monacharum.*

ANNA Phanuelis filia (ut Lucas tradit) annos septem vixe-
rat cum viro: quo defuncto, ad quartum usque, & octogesi-
mum ætatis suæ annum vidua permansit, semper castitatem
servans, nunquam de templo discedens, nocte, ac die jeju-
niis, obsecrationibusque intenta. Hac perpetua pii propositi
observatione digna evasit, quæ Spiritu sancto afflaretur, &
multa prædiceret: immò quæ illum, quem prophetæ ventu-
rum

rum prædixerunt, præsentem cerneret, & ipsum esse mundi salvatorem palàm confiteretur. *Marulus libro quinto, capite octavo.*

Sub Mauricio Imp. Longobardi multis malis Ecclesiam affecere. Verùm Gregorius Pontifex per Theodelindam Agilulphi regis Longobardi conjugem piissimam, multis precibus, & literis tandem pacem Ecclesiæ impetravit: & non solùm fœdere utrinque inito Longobardorum favores repressit, sed ipsum regem quoque idololatram ad Christi fidem convertit. *Paulus Diaconus l.4. de gestis Longobardorum, c.2. & seqq.*

Cellula Mathildis (quæ secundi Othonis mater fuit) omni nocte divinorum carminum melodia replebatur. Erat enim templo contigua: de qua omnibus noctibus consurgens, intrabat Ecclesiam: cantoribus, & cantatricibus nihilominus intra cellulam, ac præforibus, Deum laudantibus, constitutis. Ipsa intra Ecclesiam vigiliis, & orationibus dedita, & Missarum expectabat solemnia. Domesticos omnes famulos, & ancillas variis artibus, ac literis quoque instituit. *Vitichindus l.3. gestorum Saxonum.*

Gormo Danorum rex, Christianorum hostis summus, uxorem habuit Thiram, Edeldredi Anglorum regis F. pietate insignem, quæ in obsequio infidelis mariti consenuit, neque vel exemplo, vel blanditiis eum ad Christum pellicere potuit. *Crantzius l.4. Daniæ, c.18.*

Hedvigis, Ludovici Hungariæ, & Poloniæ regis F. Uladislai Jagellonis, Poloniæ regis, uxor; tempus omne suum vel divino cultui, vel lectioni eorum, quæ ad pietatem, moresque formandos pertinerent, vel denique audiendis, & levandis viduarum, pupillorum, & aliorum miserabilium hominum querimoniis impertiebat. Facultates verò suas, quas amplissimas è paterna domo secum advexerat, liberaliter in usus egentium, in cultum divinum, & in publicas utilitates expendit. *Cromerus l.1.*

Quomodo Affecti, Habiti Puta

In Morte. Mors pia, religiosa.

Sentiens Paula Romana adesse mortem, & frigente alia parte corporis, atque membrorum, solùm animæ teporem in sacro pectore palpitare, & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque detineret, illos versiculos susurrabat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et, Elegi abiecta esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Cùmque à D. Hieronymo interrogaretur, Cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid? Græco sermone respondit: Nihil habere se molestiæ, sed omnia quieta, & tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi jam mortalia despiceret, usque ad expirationem animæ, eosdem repetebat versiculos: digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem: animaque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat. Aderant Hierosolymorum, & aliarum urbium Episcopi, & sacerdotum inferiores gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium, virginum, & monachorum chori repleverant. Statimque ut audivit sponsum vocantem: Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea: quoniam ecce hyems transit, & recessit, pluvia abiit. Illi læta respondit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit, & Credo videre bona Domini in terra viventium, *Hieron. in Epitaphio ejus.*

Joannes Aragonum rex, senex, febre confectus, dum perceptis sitè Sacramentis à sacerdotibus, Evangelicam lectionem, qua Christi cruciatus referuntur, & pœnitentiarum psalmos recitantibus, aures præbet attentiores, subitò languore concidit, adeò ut clausis jam luminibus, & manibus frigidis efflasse animam crederetur. Verùm mox respirans, & reclusis oculis; omnes, qui aderant, aspicienes: O vanas, inquit, hominum cogitationes! O miseros omnes, qui ad principatus aspirant, qui divitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & illorum securam vitam, atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid, labores scilicet magnos, & multa corporis, & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquos videre bonos. O me miserum, & infelicem, qui tam serò fallacem mundum cognosco! qui vitam certè vixissem multò meliorem, si non rex, sed pauper agricultor fuissem. Hæc magno cum animi dolore ferebat, Alphonsi fratris secutus exemplum, qui Neapoli olim moriens, eadem protulisse verba memoratur. Cæterùm cùm hæc dixisset, imaginem Christi crucifixi defixis oculis intuens: O pientissime redemptor, inquit, parce mihi indignissimo servo tuo, miserere mei, clementissime Jesu, & à peccatis meis averte faciem tuam, non meis meritis, Domine, quæ nulla sunt, sed illa tua ineffabili pietate, & infinita misericordia motus, qua homines à morte redimere per crucem tuam voluisti. Hæc locutus, voce jam deficiente, Christi patibulum sæpiùs osculatus expiravit, anno MCCCCLXXIX. Barcinonæ. *M. Marineus l.18. rerum Hisp.*

Alfonsus Albuquercus, Indiæ prætor bellicosissimus, morti proximus, cùm multa mente recoleret, tum verò locum Joannis, quo Christi cruciatus exponit, sibi crebro legi faciebat, crebrisque gemitibus, & aliis ejusmodi signis, se ea lectione mirum in modum recreari demonstrabat. Cùm oram Goæ legeret, famulum celoce celeriter invehi præcepit, qui ex urbe sacerdotem, quò plurimum fuerat in rebus divinis usus, evocaret. Is ubi venit, totam cum eo noctem in rebus, quæ ad sempiternam vitam pertinebant, attentissima cogitatione pertractandis consumpsit: & sic ante lucem ex ergastulo corporis emigravit, anno MDXV. *Osorius l.10. rerum Emmanuelis.*

FINEM. VEL. PROPRIUM.

☞ *Uti virtus per se colitur, quia honesta: sic Religio per se, quia vera, sancta.*

Alienum.

☞ *Hic ferè in iis, qui Religionem alienam approbant, laudant, defendunt. Nam qui Religionem simulant, inter Hypocritas connumerandi sunt.*

ACCIDENTIA COMITANTIA.

Huc pertinet

Alacritas.

☞ *Ex loco Martyrum huc exempla quædam.*

Edessana mulier paupercula filiolum manu trahens, ad martyrium sub Valente properabat. *Vide sub Tit. Amor religiosus erga homines, Defendendo, Intercedendo.*

Turcæ in omnibus adversis hanc vocem emittere solent *Alavara*, id est Deus erit auxilio. Itaque existimantes quæcumque illis eventura sunt, jam ita definita à Deo esse, ideòque omnibus periculis ultrò se obiiciunt. *P. Bellonius l.3. c.30. observat.*

Constantia In Pietate

☞ *Sub loco, Conservatio religionis per Mortem, per Tormenta, Carceres, Exilia. Exempla Martyrum proposuimus: quæ ipsa respectu Constantiæ huc quoque accommodari potuerunt. Item sub loco Confessionis apertæ.*

Sicut per aquarum diluvium una domus Noe remansit ad reparandum genus humanum: sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remansit domus Tharæ patris Abraham patriarchę, in qua custodita est plantatio civitatis Dei. *Aug. l.16. de Civit. Dei, c.12.*

Moyses nunquam potuit adduci, ut vel in Ægypto immolaturus Domino remaneret, vel parvulos, aut jumenta populi Pharaoni dimitteret. *Exod.8. 9. 10.*

Tobias Nepthalensis, cùm reliqui populares ejus vitulis aureis sacrificarent, ipse ter quotannis Hierosolymam profectus, primitias, decimas, & promogenita sacerdotibus offerebat: tum alteras, tertiatque decimas peregrinis, pupillis, & viduis. Translatus inde, & abductus Ninivem à Salmanassare Assyriorum rege, cæteris Israelitis pollucentibus se cibo extraneorum, solus ex legis præscripto vixit. Ob hanc constantiam Dominus ei gratiam concessit apud Salmanassarem, quoad vixit, ita etiam ut decem argenti talentis ab eo donatus fuerit. *Tob.1.*

Hananeel, & Nathan, duo Salomithi majoris filii, Nepthalenses, cum Tobia seniore quotannis Hierosolymam ascendebant, ut Deo opt. max. sacrificarent, neque unquam ad peregrinos Deos defecerunt. Hananeelis filius fuit, Azarias, cui sese assimilavit Raphael angelus, quando Tobiam juniorem in Mediam duxit, & reduxit, *Tob.6.*

Corne-

Cornelius dixit beato Petro: *Omnes in conspectu tuo sumus, parati audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. Actor.10.*

Dionysius martyr Romæ passus sub Diocletiano, fustibus prælumbatus, deinde in equuleo suspensus, & virgis cæsus, admotis etiam lampadibus miserabiliter ustulatus, pro ejulatu clamorem edebat, quo se Christianum esse asseveraret. *Etsi millies, inquit, occidi possem, Dominum meum Jesum confiteri non cessarem. Marulus l.5. c.5.*

Sexto anno Valeriani, & Galieni, Victor, & Victorinus, qui per triennium cum Claudiano, & Bossa uxore ejus tormentis multis affecti fuerant, in carcerem conjecti, vitæ cursum compleverunt. *Henricus de Erfodia, ex Isuardo.*

Jovianus, item fratres duo Valentinianus, & Valens, Tribuni militum sub Juliano Apostata, Christianam religionem apertè professi, ab impio tyranno ille ab officio dejectus, hi in exilium relegati: mortuo Juliano, Jovianus primùm, cœque extincto, Valentinianus, & Valens imperium sunt adepti. *Theodoretus libro tertio, cap.16. Sozomenus l.6. c.6.*

Sub Henrico rege Vandalorum, Antonius Arrianus Episcopus cum Habet-Deum Episcopum orthodoxum nulla suppliciorum magnitudine adducere posset, ut ad Arianismum diverteret, obstructo ore, ligatisque manibus, ac pedibus, in rebaptizationis balneum vi immersit: ac ei posteà persuadere conabatur, quòd hac lotione suæ hæreseos consors esset factus. Verùm ille constanti confessione hoc ipsum strenuè pernegabat, inquiens: *O impie Antoni, non est hæc ad mortem damnatio, ubi voluntatis non accedit assensus. Ego fidei meæ tenacissimus, quæ credo, & credidi, voce sum confessus, & clamando defendi. Sed & posteàquam catenis vinxisti, & ore obstructo loquendi facultatem ademisti, intra pectoris mei penetralia arcanam fidei meæ confessionem, & tuæ istius in me violentiæ gesta, Servatori meo legenda transmisi, angelis mihi quoque subscribentibus. Victor.*

Constantius Imp. neque promissis, neque minis adducere Martinum I. Pontificem Max. potuit, ut Monothelitanam hæresim confirmaret. Qui cùm neque ab Olympio exarcho positis ejus vitæ insidiis flecteretur, & tandem à Theodoro Calliopa Exarcho captus esset, maluit in exilio, amisso cum patria etiam Pontificatu, emori, quàm de hæresi illa justum mutare propositum. *Fulg. lib.3. cap.8. Egnat. lib.3. cap.7.*

Auxentius Mediolani Episcopus ob Arrianismum dignitate exutus fuerat à Concilio Romano, eique Ambrosius populari suffragio suffectus anno 1369. Tredecim post annis Auxentius Mercurini nomine sibi indito, Justinæ Augustæ Valentiniani II. uxoris accitu in urbem rediit pro recuperanda Ecclesia, quam amiserat. Valentinianus Ambrosium per tribunum vocavit, & coram se in Consistorio adesse præcepit, ut cum Auxentio de fide disputaret, se præsente, & iis judicibus, quos uterque legisset: eo nimirum consilio, ut Ambrosio Ecclesia egresso, Auxentium restitueret. Qua re animadversa, Ambrosius eò adire noluit, ne Ecclesiam Arrianus reciperet: verùm non convenire respondit, ut de fide coram judice laico, & quidem adhuc catechumeno, extra Ecclesiam ageretur. Qua voce Valentinianus permotus, ipsum palàm basilica Portiana, quæ extra urbem erat, cedere, & quò vellet abire mandavit. Ambrosius verò à clero, populoque magna animorum alacritate defensus, se urbe exiturum, aut Ecclesia, quæ Dei esset, cessurum negavit. Hinc Valentinianus ira fervidus armatos milites ad basilicam occupandam immisit. Verùm populo illam custodiente, atque Ambrosium protegente, nihil profecit: tumultus tamen magni periculi, & fœdioris exempli fuit. Dum Ambrosius in his angustiis versabatur, epistolam ad Valentinianum ex basilica misit, in qua factum, consiliumque suum probare contendit: Pater tuus (inter cætera inquit) vir maturioris ævi dicebat: Non est meum judicare Episcopos. Tua nunc dicit clementia: Ego debeo judicare. Etille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse judicii, clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta servantur, arrogat de fide judicium, cùm fidei sacramenta non norit: Veniant planè, si qui sunt, ad Ecclesiam: audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectò habeat examen, eligat, quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: si audierit illum populus, & putaverit melius disputare; sequatur fidem ejus, non invidebo. Post paucos dies Valentinianus rursus à matre percitus, insanire, ac nova æstuare expellendi Ambrosii libidine cœpit. Itaque comitibus consistorianis missis, mandavit, ut basilicam novam, quæ erat in urbe, sibi traderet. Cui respondit Ambrosius, templum Dei tradi à sacerdote non posse. Comites, & tribuni Ambrosium adeunt, & basilicam properè sibi tradi poscunt. Imperatorem jure suo uti dicentes, quòd in potestate ejus omnia forent. Quibus respondit Ambrosius: Si Imperator à me petat, quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, non recusabo: quanquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt: verùm quæ Dei sunt, Imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite; si corpus, accurrite: vultis in vincula ducere, vultis ad necem? ludus est: non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo. Valentinianus tandem constantia hominis pernotus, milites basilicam relinquere jussit, & multas exactas negotiatoribus reddi. Qua re populus exultavit (erat autem dies, quo se pro nobis Christus in cruce tradidit, atque in Ecclesia pœnitentia relaxatur) ac milites accedentes ad altaria, osculis pacis insigne significarunt. Valentinianus tamen iram posuisse non est visus, siquidem, cùm Comites eum obsecrarent: ut prodiret ad Ecclesiam, idque se rogatu militum facere dicerent, respondit: Si vobis mandarit Ambrosius, vinctum me tradetis, Quam vocem qui audiverunt, omnes cohorruerunt. Quin etiam Calligonus præpositus cubiculi Ambrosium sic appellavit: Tu, me vivo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abscindam. Cui Ambrosius: Deus permittat tibi, ut impleas, quod conaris: ego enim patiar, quod Episcopi; tu facies, quod spadones. Hæc de seipso memoriæ commendavit Ambrosius, *l.9. Imp. occid.*

D. Augustinus adolescens etiamnum theatrici carminis certamen initurus erat. Arupsex certam victoriam pollicebatur, si data mercede sua opera dæmones placaret. At ille respondit: Ne quidem si aurea fuerit corona, eam diaboli ope, operave acquirere velim. *Testis ipsemet in Confessionibus.*

Genserico Vandalorum rex, Carthagine capta, in Siciliam cum classe transgressus, omnia, quæ incidit, vastare more Vandalico instituit. Qua re percepta, Valentinianus III. Sebastianum ex Hispania in Africam jussit traiicere, ut si nihil aliud, saltem Gensericum ex Siciliæ ad Africæ defensionem retraheret: neque irritum ejus consilium fuit. Genserico in Africam regresso, cùm Sebastianum amici magis quàm hostis partes agentem videret, ipsum per fraudem occidit. Etenim, præsentibus multis, ut inquit Victor, Episcopis, ac familiaribus suis: Sebastiane, inquit, scio, te mihi fidelem esse? sed, ut perpetua hæc inter nos sit amicitia, ut eadem mecum religione te obliges, oro. Cui Sebastianus respondit: fac ut panis afferatur. Eo verò prolato: Quemadmodum panis hic, inquit, ut ad tantum honorem ascenderet, aquæ, & ignis beneficio consequutus est: sic ego aqua sancti baptismatis, & igne Spiritus sancti ad decus hominis Christiani perveni. Quòd si effecteris, ut panis hic contritus, iterùmque mollitus, atque recoctus melior evadat, tum ipse faciam, quod hortaris. Quo Genserico responso confusus, vocem nullam emisit: at posteà, excogitato alius generis argumento, hominem rei militaris peritissimum sustulit, *Sigon. l.12. Imp. occid.*

Joannes Papa à Theodorico Ostrogothorum rege Ariano in vincula conjectus, in quibus tandem expiravit, prolixa, & pia Epistola omnes Italiæ Episcopos ad jampridem damnatæ, & explosæ ex Ecclesia Dei Arianæ hæresis fugam, & execrationem sedulò hortatus est: gravissimè eos monens, ne Theodorici regis minis (qui corpus duntaxat occidere, animam verò necare non possit) se à veritate avelli patiantur, sed ut fortiter gladio spiritus Arianam hæresim oppugnent, & radicitus extirpare laborent. *Ex tomo primo Conciliorum libro primo.*

Agapetus I. Pontifex à Thedato rege Gothorum Constantinopolim missus, cùm pacem impetrasset ab Imperatore, tentatur, ut Eutychianam opinionem confirmet. Verùm cùm Justinianus ab ea re hominem sanctissimum abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum Agapetus: Ego, inquit, ad Justinianum Christianissimum principem venire optavi: sed Diocletianum inveni, quem Christianorum hostem fuisse constat. *Platina.*

Eusebius eunuchus à Constantino Imp. Ariano Româ cum literis